





2
6
510







XXX E A

PAVL. DIAC.

de Pan. Emer.

ed. MOR

634.



PAVLI
DIACONI
EMERITENSIS,

LIBER

DE VITA ET MIRACVLIS PATRVM

EMERITENSIVM.

A BARNABA MORENO DE Vargas, cum Notis in lucem erutus.

CLARISSIMO VIRO DOMINO IOANNI CHABES DE MENDOÇA, SVMMO PRÆSIDI ORDINVM SENATVS, DICATVS.



CVM PRIVILEGIO,

Matriti apud viduam Ildephonsi Martin.

Anno M.DC.XXXIII.

EL REY.

POR quanto por parte de vos Bernabe Moreno de Vargas, vezino, y Regidor perpetuo de la ciudad de Merida, nos fue fecha relacion, q̃ Paulo Diacono Emeritense, escriuiò la vida de cinco Arçobispos de la dicha ciudad en tiempo de los Godos, y su libro andaua manuscrito, y era de mucha vtilidad, y vos le teniades corregido cõ adicion de notas de q̃ ante los del nuestro Consejo fue fecha presentacion, y nos pedistes, y suplicastes os mandassemos dar licencia, para le poder imprimir, y priuilegio por el tiempo q̃ fuessemos seruido, o como la nuestra merced fuesse, lo qual visto por los del nuestro Cõsejo, y como por su mãdado se hizieron las diligencias que la prematica por Nos vltimamente fecha sobre la impression de los libros dispone, fue acordado, que deuiamos mandar dar esta nuestra cedula para vos en la dicha razon, y Nos tuuimoslo por bien, por la qual os damos licencia, y facultad para que por tiempo de diez años primeros siguientes, que corran, y se cuenten desde el dia de la fecha della, vos, o la persona que vuestro poder huuiere, y no otro alguno podais imprimir, y vender el dicho libro, que de suso se haze mencion, por el original, que en el nuestro Cõsejo se viò, q̃ và rubricado, y firmado al fin de Lazaro de Rios Angulo nuestro Secretario, q̃ por nuestro mãdado haze oficio de Escriuano de Camara de los que en el residen, con que antes que se venda lo traygais ante ellos juntamente con el dicho original, para que se vea si la dicha impression està conforme a el, y traygais fe en publica forma en como por corretor por Nos nombrado, se viò, y corrigiò la dicha impression por su original. Y mandamos al impressor que imprimiere el dicho libro, no imprima el principio, y primer pliego, ni entregue mas de vn solo libro cõ el original al autor, o persona a cuya costa se imprimiere, y no otro alguno, para efeto de la dicha correccion, y tassa, hasta q̃ primero el dicho libro estè corregido, y tassado por los de nuestro Cõsejo, y estãdo ansi, y no de otra manera pueda imprimir el dicho libro, principio, y primer pliego, en el qual seguidamente se ponga esta licencia, y priuilegio, y la aprouacion, tassa, y erratas, so pena de caer, è incurrir en las penas contenidas en la prematica, y leyes de nuestros Reynos, que sobre ello disponen. Y mandamos, que durante el dicho tiempo de los dichos diez años persona alguna sin vuestra licencia no le pueda imprimir, ni vẽder so pena

 que

que el que lo imprimiere aya perdido, y pierda todos, y qualesquier libros, moldes, y aparejos que del dicho libro tuuiere, y mas incurra en pena de cincuenta mil marauedis, la qual dicha pena sea la tercia parte para la nuestra Camara, y la otra tercia parte para el juez q̃ lo sentēciare, y la otra tercia parte para la persona que lo denunciare, y mādamos a los del nuestro Cōsejo Presidentes, y Oydores de las nuestras Audiencias, Alcaldes, Alguaziles de la nuestra Casa y Corte, y Chancillerias, y a todos los Corregidores, Asistente, Gouernadores, Alcaldes mayores, y ordinarios, y otros juezes, y justicias qualesquier de todas las Ciudades, villas, y lugares de los nuestros Reynos, y señorios, que vos guarden, y cumplan esta nuestra cedula, y contra su tenor, y forma no vayan, ni passen en manera alguna. Fecha en Madrid a ocho dias del mes de Nouiembre de mil y seiscientos y treinta y dos años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro señor,
Iuan Lasso de la Vega.

TASSA.

TASSA.

YO Lazaro de Rios Angulo Secretario del Rey nuestro señor, que por su mandado hago oficio de Escriuano de Camara de los que en su Consejo residen, certifico, que auiendose visto por los señores del vn libro intitulado, La vida de cinco Arçobispos de la ciudad de Merida en tiempo de los Godos, que escriuiò Paulo Diacono Emeritense, corregido con adicion de nota por Bernabe Moreno de Vargas, vezino, y Regidor perpetuo de la dicha ciudad de Merida, de que ante los dichos señores del Consejo fue fecha presentacion, tassaron cada pliego de los del dicho libro a quatro marauedis y medio, y parece tener diez y ocho pliegos con los principios, que al dicho respeto monta ochenta y vn marauedis, y a este precio, y no mas mandaron se venda, y que esta tassa se ponga al principio de cada libro de los que se imprimieren: y para que dello conste de pedimiento del dicho Bernabe Moreno doy la presente en la villa de Madrid a veinte y siete dias del mes de Mayo, de mil y seiscientos y treinta y tres años.

Lazaro de Rios.

ERRATAS.

FOL. 8. pag. 2. lin. 10. Felicis, dic Fidelis, fol. 18. pag. 2. lin. 20. Nausona, dic Mausona, fol. 22. pag. 2. lin. 17. spelialique, dic specialique, fol. 60. lin. 15. cangore, dic langore.

Este libro intitulado, Paulo Diacono Emeritensis, *con estas erratas corresponde con su original. Madrid y Mayo diez y seis de mil y seiscientos y treinta y tres años.*

El Licenciado Murcia de la Llana.

CEN-

CENSVRA.

COmmissione Domini Licentiati D. Didaci Aluear de Cerecedo Ordinis Diui Iacobi, Prouisoris huius ciuitatis Emeritanæ, Prouinciæq; Legionensis (Sede vacante) vidi libenter, ac legi attente librum de vita, & miraculis Patrum Emeritensium, à Paulo Diacono Emeritensi sæculo Gothorum scriptum, quem quasi viuum reddidit V. C. Barnabas Moreno de Vargas, literis profanis ac diuinis politus, omniumque memorabilium omnis æui versatus, vt eius opera de nobilitate Hispaniç, & Historia Emeritæ ingenio, & mira eruditione ordinata demonstrant, in quibus summam dilectionem patriæ clarè ostendit. Sed quid miror? nam Cassiodorus dicit. Nobilissimi ciuis est patriæ suæ augmenta cogitare. Quapropter hoc opus typis esse dandum iudico, quia in eo nihil Catholicæ Fidei, bonisq; moribus contrarium inuenio; imò multa scitu digna in laudem Sanctorum huius inclytæ ciuitatis, quo nostri Pauli memoria ex obliuione mirificè in integrum restituetur. Datum in nostro B.P.N. Francisci Conuentu Emeritensi, die 17. mensis Septembris, anno Domini 1632.

Cassiad. libro 3. epis. 10.

Fr. Franciscus de Barahona Guardianus.

Li-

Licencia del Ordinario.

NOS el Licenciado Diego de Aluear y Cerecedo de la Orden de Santiago, Prouisor desta Prouincia de Leon Sede vacante, &c. Por lo que nos toca, como juez Ordinario que somos, damos licencia a Bernabe Moreno de Vargas, Regidor perpetuo desta ciudad de Merida, para que pueda imprimir el libro de Paulo Diacono de Merida, intitulado, De vita, & miraculis Patrũ Emeritensium, *q̃ ha sacado a luz con notas suyas, sin por ello incurrir en pena alguna. En Merida a veinte y siete dias del mes de Setiembre, de mil y seiscientos y treinta y dos años.*

El Licenciado Aluear de Cerecedo.

Por su mandado.

Alonso Macias Nieto, Not.

CEN-

SVpremi Cōſilij Caſtellæ iuſſu, legi librum De vita, & miraculis Patrum Emeritenſium, à Paulo Diacono Emeritenſi conſcriptum, & à Barnaba Moreno de Vargas eiuſdem Vrbis, poſt mille annos è tenebris in lucem editum, erudatis notis, floſculis, & luminibus illuſtratum, opus verè egregium, ſole & ſale conditum, ritè & rectè diſpoſitum, quare prælo (vt multorum vota adimpleantur) committi poſſe iudico. Matriti 30. Octobris 1632.

Magiſter AEgidius Gonçalez D'Auila.



CLARISSIMO VIRO DOMINO Ioanni Chaues de Mendoça, Equestris Diui Iacobi militiæ, nobilissimo Heroi, Supremi Senatus & Regij cubiculi prudentissimo Consiliario, in Regali Ordinum Senatu Summo Præsidi, Domino villarum de Santa-Cruz, Mangada, & Mohedillas, &c.

Barnabas Moreno de Vargas S.D.

OPVS Aureum Pauli Diaconi Emeritensis, in quo de aliquibus Episcopis, & Viris sanctissimis non sine numine scribit, quod post mille annos, castigatum & pristino nitori restitutum typis datur, non nisi tibi (Præses illustrissime) decet consecrari. Nā eo quòd Catholicus Rex noster Philippus propter inclyta merita tua in summum Præsidem Ordinūm Militarium Senatus dignè te elegit, tutelam æternæ nostræ Emeritæ accepisti. Cui accessit, te esse oriundum ex clarissimis familijs, nominibus & luminibus conspersis, Prouinciæ de Stremadura. Ex quo munusculum istud in tuo patrocinio natiuè incidit. Ideò (vir clarissime) supplex obsecro, vt eum, me etiam, tua magnitudine foueas, tua beneuolentia faueas.

Didacus Lopez linguæ Latinæ, Humanarumque literarum professor.

Vrbs laudes Augusta tuas scripsisse priores
Legimus, & nomen concelebrasse tuum.
Hos inter Paulum fulsisse videmus alumnum,
Sanctorum scripsit dum monumenta virùm.
Inuidet haud Vargas clarissimus alter ab illo,
Plenius hic aperit, quæ latuère diu.
Multa tacet Paulus, sed Vargas mille per annos
Quod tectum fuerat, detegit omne modo.
Restituit Scholijs, doctus castigat ad vnguem,
Hic labor ingenio dignus, & arte fuit.
Augustam Paulo multum debere fatemur,
Sed quis non dicet plura Moreno suo?
Hanc celebrem reddit, clauoq; affigit, & hærens
Ipse sedet puppi, consilioque regit.

AD LECTOREM
Prænotatio.

EX ſcriptis Pauli Diaconi Emeritenſis patet, natum Emeritæ, nobilitate, literis, ac virtutibus præclarum, à Renouato Caulilianenſi Abbate in Fide Catholica inſtructum, in Cœnobio Sanctæ Eulaliæ extra vrbis mœnia monachum, & ad numerum Leuitarum collocatum, gubernante ipſo Renouato Metropolitanam Eccleſiam ad Archidiaconatus dignitatem promotus eſt, ſanctorum Archiepiſcoporum Emeritenſium Pauli, Fidelis, Maſonæ, Innocentij, & Renouati in hoc opuſculo geſta mirifica narrauit; in eo multa notatu digna de moribus Gothorum dictat. Alterum etiam librum de Catholica confeſsione ſcripſit, de vtroque Ambroſius de Morales in Scholijs ad Eulogium lib. 2. cap. 1. fol. 282. in tom. 4. Hiſpaniæ illuſtratæ in hæc verba. *Paulus hic Emeritenſis Diaconus, cuius mentionem alicubi fecimus, cum Emeritenſis Eccleſiæ, & Antiſtitum eius hiſtoriam ſcripſiſſet, tum etiam de alijs*

sanctis viris quædã adiunxit. Extat etiã eiusdem confessio Catholica. Quæ duo opera manuscripta non parùm antiqua in S. Ecclesiæ Toletanæ Bibliotheca habetur. Eadem multò vetustiora in nonnullis alijs Bibliothecis conspeximus. Vixit Paulus temporibus Regum Resceswinti, & Vvambæ, & tandem Domino migrauit circa annum Domini 672. De illo multi Authores & tanquam verissimum, & omni æstimatione dignum librũ hunc allegãt, præcipuè suprà dictus Morales in Hispanica historia lib. 11. cap. 72. vbi sic. *Yo he contado todo lo deste santo Abad Nũcto, como lo escriuiò Paulo, vn Diacono de Merida, que viuiò pocos años despues destos tiempos, y escriuiò vna historia de las cosas de la Iglesia de aquella ciudad, donde dize fue testigo de vista de lo q̃ alli ha de proseguir. Este libro hize yo trasladar de vn original harto antiguo, que fue de la Iglesia de Sigueça, y aora està en la libreria de la santa Iglesia de Toledo, y del irè yo sacãdo a sus tiẽpos lo que a esta Coronica perteneciere.* Baronius tom. 7. anno 589. nu. 44. Scolanus lib. 2. cap. 12. D. Franciscus de Padilla in Histor. Eccles. Hispaniæ cent. 6. cap. 50. Ioannes Mariana lib.

5. cap.

5.cap.13. Frater Ioannes Marquez in Hist. Eremit. S. Augustini cap. 12. §. 8. D. Garſ. de Loaiſa in Collect. Cõcil. Hiſp. D. Thomas Tamaio de Vargas. Rodericus Caro, & alij recentiores. Cuius copia tranſcripta fuit ex codice manuſcripto Bibliothecæ Excellentiſsimi Ducis de Alcala Ferdinandi Enriquez de Ribera bonarum literarũ inſignis amatoris, quam tibi, lector, erratis quibus ſcatebat emendatam, notiſque noſtris, etſi paruulis, libentiſsimo animo concedimus, vt opus ſanè tam vtile omnibus ſit manifeſtum, quia in eo multa à nonnullis ante noſtrum Paulum dicta inuenies. Fruere ergo, bonique conſule, & vale.

PAVLI

PAVLI DIACONI EMERITENSIS LIBER

DE VITA, ET MIRACVLIS PATRVM EMERITENSIVM.


In Pauli Diaconi Emeritensis librum de vita, & miraculis Patrum Emeritensium Index capitum.

Nos enim partiti sumus in capita distinctionis causa.

PRAEFACTIO.

Cap.

Emeritæ substitutus; Masona verò in Monasterio triennum exul miraculis claret.



IN NOMINE DOMINI INCIPIT OPVSCVLVM DE VITA, ET MIRACVLIS EMERITENSIVM PATRVM A PAVLO DIACONO EDITVM.



IRORVM Orthodoxorũ, maximèq; Catholicorum, prorſus vera eſſe, nullus ambigat, miracula, quæ ſanctiſsimus, egregiuſq; Vates, Romanę Præſul Vrbis, Gregorius, inflammatus Paracleti chariſmate Spiritus, Dialogorum in libris veridico edidit prænotationis ſtylo; quæ olim, ſcilicet, Omnipotens Deus ſeruulis pro ſuis beneplacitis propter honorem nominis ſui patrare dignatus eſt, ne quoli-

bet ob hoc dubitans quiſpiã æſtuet animo, quòd priſcis iam temporibus geſta eſſe videantur, fortaſsis fidem plenam minimè accõmodet, & præfatum ſacratiſsimum virum electionis ſacrarium Spiritus ſancti aliqua vanis, & nebuloſis verbis fuſcare opinetur, dũ luce clarius Euãgelicæ auctoritatis voce cunctis manifeſtetur: Dominum ſemper operatum, & operari. Quam ob rẽ, vt omniũ legentium, vel audientium fides maioris credulitatis robore firmetur, ea modernis temporibus in Emeritenſi Vrbe narramus, & quæ nõ relatu aliorum agnouimus, nec fictis fabulis didicimus, ſed quæ ipſi, eo referente, auribus noſtris audiuimus; quem è corpore mirabiliter egreſſum, & ad ætherea regna perueniſſe non dubitamus.



CA-

CAPVT I.

Auguſtus puer, miniſter Eccleſiæ Sanctæ Eulaliæ Emeritenſis, moriturus, per viſionem ducitur ad Tribunal gloriæ.

PVERVLVS quidam non grandi adhuc ętate, & vt planius dicam, ephœbus, nomine Auguſtus, inſons, ſimplex, & inſcius literarum, dum cum cæteris coæuis, ac ſodalibus ſuis puerulis fideli mente in domo egregiæ Virginis Eulaliæ 1 ſui ſeruitij miniſterium, quod ei à præpoſito cellæ venerabili viro fuerat delegatũ, perageret, repentè hunc contigit ægrotare. Cùmque ad eum viſitandum, vt mos eſt, multi ambularent, crebriùſq; ipſe pergerẽ, & accidit nocte quadam explicitis vigiliarum ſolemnijs. Nam talis in eadem ſancta Eccleſia mos eſt, vt hyemis tempore excubio ſeorſum Matutinũ Officium, facto interuallo modico, annuente Domino, celebretur. 2 Hoc igitur temporis interuallo 3 ad videndum eum perrexi, ingreſſuſq; cellam, in qua ipſe recubabat, cunctos, qui aderant, ita oppreſſos ſopore reperi, vt nullus eorum ad miracula fuiſſet expergefactus. 4 Lumen verò, quod ibi incenſum erat, extinctum inueni; & protinus omnes ante eum iacentes conſurgere monui, & lumen, quod extin

ctum fuerat, denuò incedere imperaui, adhibitòq; mox lumine præfatum Augustum quemadmodum se haberet sciscitatus fui. 5 At ille inquit. Equidem quantũ ad pręsentis pertinet vitę spem, fateor ita iam omnis corporis resolutos, vt nihil virium omnino artus meos remanserit. 6 Quantum verò pertinet ad spem vitæ æternæ, non solùm spem me habere gaudeo, verùm etiam vitæ æternæ Auctorem Dominum Iesum Christum cum Angelorum cateruis, atque omniũ Sanctorum innumerabiles multitudines me vidisse confiteor. Dumq; hæc audissem, statim in stuporem versus vehementer contremui; atque vt mihi cũcta, quæ viderat, sigillatim narraret, deprecatus. At hæc ille. Testor Dominum cœli, & terræ, me tibi phantasticam visionem nullam referre; sed vt magis credas, fateor etiam tibi me hac nocte minimè dormire. Et dum hæc dixisset, ita exorsus est. Fui in loco amœno, vbi erant multi odoriferi flores, herbæ viridissimæ, rosæ, & lilia, & coronæ ex gemmis, & auro multæ, vela holoserica innumerabilia, & aër tenuis flabrari frigore flatu suo cuncta refrigerans. Ibi etiam vidi sedes innumerabiles positas ad dexteram, lęuáque; in medio verò multùm sublimior posita præminebat: ibi namq; adstabant pueri 7 innumerabiles, omnes ornati, & pulcri, præparantes mẽsas, & conuiuium eximium, non de qualibet pecude, sed

ſed tantùm de altilibus omnibus parabatur ferculorum copia; [8] & omnia quæ parabantur, erant candida inſtar niuis, pręſtolabantur aduentum ſui Regis. Tum deinde ego indignus operæpretium mihi arbitrans fore, tantæ rei miraculum, ſi pleniùs referẽte illo audirem, aio ad eum: Dic mihi obſecro: dũ iſtud, quod narras, parabatur, tu quid faciebas? Ille verò reſpondit: Omnium pedes oſculabar; & illi dicebant. Benedictus Deus, qui te benè adduxit. Dum hæc verò dicerent, & omne miniſterium præpararent, ſubitò aduenit ingens multitudo candidatorum; omnes verò & lapidibus pretioſis ornati, & coronis rutilantibus redimiti, & vna acies ipſius multitudinis ad dexterã, alia verò ad læuam partem gradiebatur, atq; ita altrinſecùs obſequium exhibebant. In medio autem eorũ veniebat vir ſplendidiſsimus, nimiumq; pulcerrimus, forma decorus, aſpectu glorioſus, ſtatura procerior cunctis, lucidior ſole, candidior niue: cùmq; perueniſſet ad præparatas ſedes, ſedit pulcrior ille vir in eminẽtiori loco, cæteri verò procidentes, adorantèſq; eum reſederunt in ſedibus ſuis; ſtatim deniq; benedixit omnes: at illi adorauerunt ſemel, & iterum, ac ter, deinde ferculorum præparatio appoſita eſt illi. Dum cœpiſſent epulari, dixit ille ſpecioſus vir, qui ſedebat excelſiùs, ad eos, qui circunſtabant: Aliquis eſt hìc ruſticus? Illi verò reſponderunt: Adeſt, Domine. Tum demum

mum ille: Præſentetur conſpectui meo. Ego autē à longe & intuebar, & conſpiciebam, dumq; prę-ſentatus fuiſſem eius obtutibus, cœpi vehemēter contremere. Ille verò dixit mihi: Noli timere, fili. Tranſi poſt ſcapulam meam, & hìc ſta. Et adiecit: Noli timere. Scito, quia protector tuus ero. Nunquam tibi aliquid deerit. Ego te ſemper paſcam. Ego te ſemper veſtiam. Ego te omni tēpore protegam. Ego nunquam te derelinquam. Illicò nāq; de eodem conuiuio eſcā, poculumque, quale nūquam videram, mihi tribuere iuſsit, quod ſuſcipiēs omni cum iucunditate percepi; & verè fateor, munere ita cibi illius gratia refectum, vt deinceps aliud nihil præter illum nunquam deſiderem cibum. Igitur explicito conuiuio ait mihi: Ambulet iſta multitudo aliam viam, tu mecum profecturus eris, vt tibi oſtēdam viuariolum meum, quod habeo. Rurſumq; conſummato iā conuiuio proceſſere omnes, & adorauerunt eum, idem benedicens eos Rex permiſit abire. Illis verò abeuntibus, trahebant ad Tribunal eius neſcio quos homines vociferantes, magniſq; eiulatibus eiulabant, quorum dum voces audiſſet, ait: Trahite foras malos ſeruos: non ſunt digni videre faciem meam. Quod cùm dixiſſet, tam celeriter nimirū abſtracti ſunt, vt eos ampliùs non potuiſſem videre, 9 neq; cognoſcere. Rurſuſq; ſciſcitās dixi: Quæſo, fili, vt mihi dicas, ſi aliquem cognouiſti ibidem de his, qui

mihi

mihi in hoc ſæculo cogniti fuere, & iam de hac lu
ce accerſiti migrauère? Ad hęc ille. Homines, quos
ibi vidi, longè erāt ab his omnibus, quos videmus
modò; nam alia forma, & alio habitu decorati ſunt
omnes. Deinde ſubiunxit: Poſtquàm verò traxe-
runt illos homines foras, ſurrexit ille cæteris pul-
crior dominus de ſede ſua, apprehendenſq; ma-
num meam eduxit me in hortum amœniſsimum,
vbi erat riuus, in quo erat aqua vitrei coloris, &
ſecus riuum ipſum flores multi, & ſyluæ aromatū
fragrantes, redolenteſq; diuerſis ſuauitatis odori-
bus. Ac ſic iuxta riuum ipſum venientes perueni-
mus vſq; ad locum, quem nunc in ſtrati modo ia-
centem video. [10] Hæc mihi ſæpè memoratus
puer, multis coram poſitis, retulit. Quam ob rem
ego indignus, & omniū peccatorum primus, Le-
uita Chriſti, [11] quemadmodum narrauit, ſcribere
volui, [12] verbis licèt alijs, ſenſibus tamen ipſis.
Pòſt verò hæc cuncta, quæ audieram, ſanctiſsimo
viro domino, & Abbati meo [13] nuntiare curaui;
quibus ille agnotis, vt ei ſemper mos eſt, viſcera
pietatis repletus quantoocyùs ad eundem Augu-
ſtum properauit, atque inhiāter, quæ dudum nar-
rauerat, eius ex ore cupiens audire, quidnam vidiſ-
ſet ſciſcitatus eſt: [14] atque idem Auguſtus, quæ
priùs dixerat, nihilominus repetens, eius ſanctis
auribus intimauit. Demum almo, ac beatiſsimo
viro cuidam Leuitæ, vniuerſiſq; fratribus [15] ſe
per-

percontantibus, quæ paulòanteà prædixerat, repetebat. Nã mox cœpit animus eius flagrare desiderio percipiendæ pœnitentiæ. Qua confestim accepta, dum ego abissem, atque ad Basilicã sanctæ Mariæ semper Virginis, quæ quinque millibus ab vrbe Emeritensi distat, gratia orationis properassem; quam etiam Basilicam vulgus sanctam Quintilinam hactenus vocitant. 16 Inde regressus iam vesperascente die eum defunctum reperi; & quoniam iam vesper erat, minimè eo die sepultus est. Sequenti verò nocte, dum ipsum corpusculum inhumatum in cellula, qua defunctus fuerat, iaceret, intempesta nocte idem Augustus alium puerulum æquæuum suum, nomine Quintilianem à foris permagna voce vocauit: cuius voce audita, & cognita, quidam puer simplex, & verax, nomine Veranianus, illicò surrexit, egressusque foras ipsum Augustum in alba stantem videre meruit. Sed pauore perterritus propius ad illum accedere non præsumpsit; cuius faciem niueo candore se vidisse, cum iuramento te status est.

Alio verò die corpusculum eius ex more in Basilica sanctæ Virginis Dominæ meæ Eulaliæ sepulturæ est mancipatum. 17

Ad

AD CAP. I. NOTÆ.

1 IN Domo egregiæ Virginis Eulaliæ. *Sãcta Eulalia Emeritæ ortũda, instructaq; Fide Iesu Christi per Donatũ, à Deciano Imperatoris Diocletiani Legato per Calpurnianum suum Vicarium terdecim martyribus, & ætate duodecim in hac vrbe extorta fuit, & anima eius in columbæ albæ specie ex flãminibus, vbi spiritum dimisit, ad cœlum ascendit, quarto idus Decembris, anno Domini 303. ita asserit Aurelius Prudentius in hac Oda in laudem Virginis Eulaliæ decantata.*

Germine nobilis Eulalia
Mortis & indole nobilior
Emeritam sacra Virgo suam,
Cuius ab vbere progenita est,
Ossibus ornat, amore colit.
Proximus Occiduo locus est,
Qui tulit hoc decus egregium.
Vrbe potens populis locuples,
Sed mage sanguine martyrij
Virgineoq; potens titulo.
Curriculis tribus, atq; nouem

Tres hyemes quater attigerat
Cum crepitante pyra trepidos
Terruit aspera carnifices
Supplicium sibi dulce rata.
Flamma crepans volat in faciem
Perq; comas vegetata caput
Occupat, exuperatq; apicem
Virgo citum cupiens obitum
Appetit, & bibit ore rogum.
Emicat inde columba repens
Martyris os niue condidior
Visa reliquere, & astra sequi,
Spiritus hic erat Eulaliæ
Lacteolus celer innocuus.
Nunc locus Emerita est tumulo
Clara Colonia Vetoniæ,
Quam memorabilis amnis Ana
Præterit, & viridante rapax
Gurgite mœnia pulcra labat.
Hic vbi marmore perspicuo
Atria luminat alma nitor,
Et peregrinus, & indigena
Reliquias, cineresq; sacras
Seruat humus veneranda sinu.

Idem

Idem inuenitur in Martyrologijs, Breuiarijs, atq; varijs auctoribus, ibi autem vbi martyriũ perpessa fuit. Et postea tempore Gothorum Cœnobium insigne Monachorum Ordinis S. Benedicti in eo fuit. Templum extat adhuc, atq; est Ecclesia Parochialis, habetq; Conuentum Sanctimonialium Ordinis Militaris Diui Iacobi de Spata.

2 Matutinũ Officium facto interuallo modico, adnitente Domino, celebratur. *Sic legitur in M.S. Sed nos emendauimus,* annuẽte Domino: *nam* adnitente Domino, *nullum sensum facit, potius plurimum affert obscuritatis.*

3 Hoc igitur temporis interuallo. *Sic in M.S. sed legendum censeo.* Hoc temporis interuallo, *vel* Quo temporis interuallo; *dempta dictione,* igitur, *quæ perturbat bonum contextum, atq; ordinem vocum. Erat tunc Paulus Monachus in Conuentu S. Eulaliæ quandoquidem Matutinis, horisq; Canonicis, ibi recitatis assistebat. Postea verò cum hunc librum scripsit, iam Ecclesiæ Maioris, vt statim dicetur, Archidiaconus erat. Pro comperto enim habetur, omnes plures Ecclesias Hispa-*

niæ habere illis temporibus Religiosos, atq; Conuentus ad earum ministerium; vt inquit Ambros. Moral. lib. 2. Eulogij, c. 1. n. 6. tom. 4. Hispaniæ illustratæ. Esse autem in Hispania iam Monachos Religiosos, atq; Abbates cum Cœnobijs, cellisq; ex primo Concilio Tarragonæ celebrato anno Dominij 516. colligitur. Hæc verò S. Eulaliæ, atq; Cubillanæ (de quo statim dicetur) erant Monachorum S. Benedicti, non autem Eremitarum Diui Augustini, vt P. Marquez in Historia Eremitarum Diui Augustini, cap. 10. §. 2. innuere conatus est. Aduentum enim S. Donati, ex Africa in Hispaniam ad instituendum Ordinem D. Augustini, constat fuisse anno 570. Et tunc iam esse in Hispania Religiosos, constat ex prædicto Concilio Tarraconensi, anno 516. qui necesse erant Ordinis S. Benedicti; eo quod hic Ordo in Hispania plurimum perualuit, cuius procul dubio fuit Cœnobium S. Eulaliæ, siquidem Archiepiscopus Paulus Emeritensis in eius cellam, vt moreretur se recepit; vt noster Paulus Diaconus, cap. 5. his verbis innuit: Ipse verò sanctissimus senex mox derelinquens atriũ, & omnia priuilegia honoris sui, sese ad Basili-

silicam S. Eulaliæ in Cellulam vilissimam contulit. *Paulo autem Archiepiscopo successit Fidelis, qui præsit plurimos annos: huic verò Mausona, qui creatus fuit anno 570. Igitur quando Paulus Archiepiscopus decessit vita, nondum sanctus Donatus aduenerat, nec Ordo Diui Augustini ad Hispaniam, vt largiùs in nostra Historia Emeritæ comprobauimus. Non autem attinet ad rem illud, quod S. Ildephonsus, dicit de viris illustribus.* Donatus ex professione, & opere Monachus, cuiusdam Eremitæ fertur in Africa extitisse dicipulus. *& paulòpost:* Iste prior in Hispaniam Monasticæ obseruantiæ vsum, & regulam dicitur adduxisse. *Intelligendum enim est, primum fuisse, qui vitæ Monasticæ cum votis, & obsequio Prælatorum suorum regulam dedit, quoniam antea Religiosi non erant omnino subditi Abbatibus, sed Episcopis, vt ex Concilio Cæsaraugustano 1. canone 6. & Toletano 12. c. 9. & 11. patet.*

4 Expergefactus introiui. *Sic in M. S. sed tollẽdũ est,* introiui: *nõ enim opus est dicere:* Ingressusq; Cellam, & introiui: *est nãq; absur-*

dum,

dum, ingenſq; pleonaſmus; quod nec in ſermone noſtro ferri poteſt. Entrando en la celda entre.

5 Auguſtum quemadmodum ſe haberet ſuſcitaui. *Sic in M.S. quod male ſcriptum eſt, & melius dicemus,* ſuſcitatus fui, *nam verbum,* ſuſcitor, *frequens eſt, & vſitatum. Suſcito autem non inuenitur. Præterea loquutio illa* quemadmodum ſe haberet, *apud Ciceron. inuenitur lib.* 3. *epiſtol.* 1. Si ipſa Reſpublica tibi narrare poſſet, quomodo ſe haberet.

6 Vt nihil virium omnino artus mei remanſerint. *Sic in M.S. nos contenderimus legendum eſſe,* vt nihil virium omnino artus meos remanſerit.

7 Ibi namq; adſtabant pueri innumerabiles, *id eſt, Angeli.*

8 Sed tantum de altibus omnis parabatur ferculorum copia. *Sic in M.S. ſed melius eſt,* de altilibus omnibus.

9 Vt eos amplius non potuiſſem videre. *Sic melius, quàm in M.S.* vt eos plenius non potuiſſem videre.

10 Ac ſic iuxta riuum ipſum venientes peruenimus vſq; ad locum, quem nunc in

ſtrati

ſtrati modo iacentem video, *melius quàm in M.S. vbi ſic.* Ac ſi iuxta riuum ipſum veniẽtes peruenimus vſq; ad locum, quod nunc in ſtratu modo iacens video.

11 Quam ob rem ego indignus, & omnium peccatorum primus, Leuita Chriſti. *Ex hoc conſtat, Paulum cum hunc librum ſcripſit, ad Archidiaconatum iam aſcendiſſe, quæ dignitas, idem eſt, quòd primus Diaconorum, ſeu Leuitarum.*

12 Scribere volui, *ita legendum, non vt in M.S.* Scribire malui.

13 Santiſsimo viro Domino, & Abbati meo. *Forte loquitur de ſancto Renouato, qui cum eſſet Abbas Caulilianæ ad Cœnobium S. Eulaliæ tranſuectus fuit, & exinde ad Archiepiſcopatum ciuitatis promotus. De cuius vita Paulus vltimum caput huius libri ſcripſit.*

14 Viſcera pietatis repletus quantocyus ad eundẽ Auguſtum properauit, atq; inhiãter, quæ dudum narrauerat eius ex ore cupiens audire, quidnam vidiſſet, ſuſcitatus eſt. *Ita melius quàm in M.S. vbi male ſcriptũ eſt.* Viſcera pietatis repletus quanto eius ad eundem Auguſtum properauit, atq; inihãte,

quæ dudum narrauerat, eius ex ore cupiens audire, quidnam vidisset sciscitauit. Et in viscera pietatis repletus, *de est præpositio, circa, quam Latini tacere solent. Vt Valer. Max. lib.* 3. *cap.* 2. Tragula femur traiectus.

15 Demum almo, ac Beatissimo viro cuidam Leuitæ vniuersisq; fratribus. *Ex hoc cognocitur, in Cœnobio S. Eulaliæ multos esse Religiosos, atq; sanctissimos, quòd etiam visio Augusti, pueris, & alia familiaris, Felicis Archiepiscopi, quas refert Paulus hic, & infrà cap. 7. ostendunt.*

16 Ad Basilicam sanctæ Mariæ Virginis, quæ quinq; millibus ab Vrbe Emeritēsi distat, gratia orationis properassem, quam etiam Basilicam sanctam Quintilinam, hactenus vocitant. *Hanc Ecclesiam vereor esse sacellum sanctæ Mariæ Vrenæ; distãtia enim, quæ nunc est paulòpost leuca; est eadem, quæ est quinq; milliaris: quatuor enim milliaria complent vnam leucam: & ædificium prima sua fundatione fuit ex tempore Gothorum, & videtur fuisse domum quinq; stationum ad Passionem Domini nostri Iesu Christi: & ideo vocata fuit Quintilina: quæ deuotio hoc nostro tē-*

pore

põre conseruatur, quoniam incolæ Emeritenses, adeunt eam sextis ferijs Quadragesimæ.

17 Corpusculum eius ex more in Basilica sanctissimæ Dominæ meæ Eulaliæ sepulturæ est mancipatum. *Hodie est cum cæteris ossibus, & reliquijs Sanctorum, quos hæc ciuitas habet, vt dicetur infrà cap. fin.*

CAPVT II.

Monachus Caulilianensis, apud Emeritam Monasterij morti vicinus, ex ebrio, & fure ad Dominum conuertitur.

FVERVNT pleriq; idonei viri ante non satis plurimos annos clementia diuina in Prouincia Lusitaniæ, qui ferunt gestum Saluatoris nostrum miraculum, cum in Monasterio, cui Cauliana [1] vocabulum est, quod Emerita vrbe haud procul situm ferme millibus octo distat, [2] reuerēdissimus vir pię memorię Renouatus [3] Abbas præesset, pòstq; etiam Emeritensi vrbi Pontifex extitit mirificus, atq; sagaci solitudine, vtpote vir perspicax, & nimium acris ingenij, multũq; in omni disciplina, atq; timore Domini strenuissimus cunctos illic commorantes Monachos se-

dulo per bonam conuersationem, & sancti operis exempla ad supernam patriam prouocaret, cunctusq; grex pastorem præeuntem arctis semitis, callibusq; prosequeretur cilicijs, lupus vorax vnam ei toto adnixu conatus est ore mordaci laniare ouiculam, ita dumtaxat, omni cœtu sanctæ Congregationis in Domini laudibus persistente, atq; regulari tramite in timore Domini degente, quidam Monachus ab eorum discrepans sanctissimis moribus gastrimargiæ, & ebrietati inæstimabiliter incumbens semetipsum contradedit. Deinde ad maiorem declinans interitum furari, quæq; potuisset reperire, cœpit, quem cum prędictus vir Dei sæpius blande moneret, nec facile coercere valeret, iterum, iterumq; verborum obiurgare increpationibus studuit. Sed cum nec sic ab illecebrosa edacitatis delectatione, atq; furti, rapacitatisq; intentione cessaret, hunc flagris verberare, parsimonijs affigere, ergastulisq; tradi præcepit. Sed ille nihilominus pristinis perdurans piaculis, non solum quia à flagitijs minime cessabat, sed etiam diebus quotidianis semetipsum pollicens antris Auerno Tartareis mancipare magis, magisq; festinabat. Cumque eum videret tanto tempore intentionis pergere viam, vt nec tot viribus increpatus, nec toties verberatus emendari voluisset, tactus dolore cordis intrinsecus dimisit eum abire secundum desi-

desideria cordis eius, ac præcepit ijs, qui pręerant promptuarijs Monasterij, vt quacumque hora vellet ingredi, quæcumque in cellarijs optima, quæcumque dulcia, eum vsque ad vomitum nullus edere, aut bibere prohiberet, etiamsi aliquid asportare, & abscondere ex more vellet, liberam potestatem haberet, vt plenius dignosceretur, postquam gutturi, aut ventri satisfecisset, quidnam postmodum esset acturus. Ille videlicet iuxta præceptum claustra reserata aperiens opulentissimi, vt fertur, Monasterij, cellaria clam opima penetrauit, custodibus tamen eminus circumquaq; obsitus callida dissimulatione cernentibus ignorante illo, ac pręstolantibus quidnam ageret, quęq; dulcia, & suauia esu, potuq; reperisset, eo vsq; passim vorabat, bibebatq; quovsq; mente perdita vix ambulare valebat. Posthæc fercula diuersa furtim subripiens, etiam vascula vinaria, quæ vsitato nomine Gillones, aut Flascones appellantur, auferebat, & in hortum contiguum Monasterij inter arbusta frondosa, aut arũdineta condensa in loco abditissimo occultabat. Tum deinde cibo iam nimio crapulatus, temulentiaque poculorum satiatus se ad cubitum sternebat, & apponens, quæ furatus fuerat, quamuis iam non delectaret, & nimium onusto ventre ructaret, tamen adhuc edere, & bibere cupiebat. Sed cum perquam

grauata aluo langueret, potiusquam mãducaret, illico occurrente somno obdormiebat. Tum deinde venientes canes, queq; portauerat comedebãt: custodes itaq; è regione intuentes vascula, queq; detulerat, dormiente illo ad cellaria reuocabant. Dumq; hęc per multa temporum spatia peragerentur, & nullus eum aliquando iam emendari crederet, hoc exemplo, Pastor, & Saluator bonus, de ore leonis eum abstraxit, accidit namq; vt die quadam more solito primo diliculo de cellario temulentus exiret, quem vt viderunt ebrium pueri paruuli, qui sub pedagogorũ disciplina in scholis literis studebant; 5 protinus voce exclamauerunt. Considera iudicium terribile Domini. Considera tremendi examinis metuendam sententiã. Ac considera formidandam, atq; horrendam eius iudicij vltricem seueritatem. Considera etiam annos ętatis tuę, & sic tandem mores commuta in melius, & vel vno die ante mortem tuam corrige vitam tuam, quia nobis infantibus, quę tu agis, non licet agere, quanto magis tibi, qui iam ętate plenus esse cerneris. Cumq; hoc audisset, pudore nimio coopertus erubuit, statimq; compunctus est, & eiulatu magno flens cum lacrymis, eleuans oculos suos ad cœlum dixit. Domine Iesu Christe Saluator animarum, qui non vis mortem peccatoris, sed vt reuertatur ab iniquitate & viuat, te precor, vt corrigas me, & auferas istud ignominiosum

niosum opprobrium de facie mea, aut certè si tibi placet, iam tolle me de hac miserabili vita, vt amplius improperium facici meę non audiam. Quem statim diuina pietas exaudire non distulit, sed de prę senti in eodem loco dolore percutiens vi febrium ęstuare fecit. Nimirum dexterę excelsi immutatio in tantum eum commutauit in melius, vt abhorrens omnes carnales delicias flagranti animo pœnitentię remedium mox appeteret, corporis videlicèt, cruorisq; Dominici Sacramentum inhianter desideraret. Sed cum ante factus almus Pater putaret eum phrenetica, aut vana mente id flagitare, pœnitentiam plenariam dare distulit, sed tantundem viaticam gratiam impertiuit, ac tribus diebus, totidemq; noctibus lacrymis, & confeßione mirifica satisfecit. Tertiò posthęc die migratus è corpore, vt valefaciens cunctis fratribus sic ait. Cognoscite, quòd omnia delicta mihi dimissa sunt, & ecce pro foribus sanctißimi Apostoli Petrus, & Paulus, necnō & Beatißimus Laurentius Archidiaconus, & martyr cum innumerabili turba candidatorum me expectant, cum quibus ad Dominum pergere debeam. Et hęc dicens migrauit è corpore. Corpusculum verò eius ex more sepulturę traditū. Post quindecim verò, aut eo amplius annos memorabilis amnis Ana 6 nimirum excrescens, ripasq; aluei sui 7 supergrediens fluenta liquoris latè adpersit, & ruinas ę-
dium

dium per villulas vicinas litori ſuo multas fecit; ſimiliter Caulilianenſis Monaſterij cellas euertit, quas cum Monachi reſtaurare voluiſſent, contigit, vt dum fundamenta conſtruant, in cellula, qua ſuprà dictus iacebat, ipſum ſepulcrum aperirent, ſed mox inde nectareus odor erupit, ipſe verò intiger, & in corruptus, repertus eſt, ac ſi hora eadem fuiſſet humatus, vt nec veſtimenta eius, nec capilli ex aliqua parte cernerentur corrupti.

AD CAP. II. NOTÆ.

1 DVm in Monaſterio, cui Colonona vocabulum eſt. *Aliàs* Cauliana, *vt ex ipſo Paulo hoc cap. 2. in fine, patet ibi* (& Caulianenſis Monaſterij) *& hoc nomine noſtri pene omnes Auctores tranſeunt.*

2 Quod Emerita vrbe haud procul ſitum ferme millibus octo diſtat, *ſitus vbi hoc Cœnobium fuit, vocatur* Cauliana, *eſt idem in quo nunc eſt ſacellum Cubillanæ duas leucas è Emerita. Hoc nomen inditum fuit à Caulæ, quòd armenta ſignificat, & Ana, qui eſt flumen, quod vulgò* Guadina *dicitur. Hic quondam Romanos, credi poteſt, aliqua habuiſſe armen-*

men-

menta, & vsque ad hoc tempus extare videmus. Ripa enim est feracissima eorum. Postea verò Christiani inter Gothos ibidē Cœnobium, quod Caulianense appellatum fuit, condiderunt, fuitq; insigne, & Ordinis sancti Benedicti, vt asserunt Morales lib. 12. capit. 22. Padilla cent. 7. capit. 17. Marquez in Historia Eremitar. S. Augustin. c. 12. §. 8. qui ait infelicem Regem Rudericum commisso prælio infeliciter iuxta flumen Guadalete ad hoc Cœnobium Caulianense aduenisse, & inde imaginem Dominæ nostræ Sanctæ Mariæ de Nazareth Lusitaniam transportasse, quæ hodie est vltra Vlysipponem, in monte S. Bartholomæi.

3 Reuerendissimus vir piæ memoriæ Renouatus Abbas. *Hic Abbas Cubillanæ Archiepiscopus Emeritæ fuit, de quo Paulus infrà cap. fin.*

4 Gillones, & flascones. *Erant vascula vinaria: quæ nomina videntur Gothorum fuisse, & sunt eadem, quæ vulgò dicimus,* Cangilones, y frascos.

5 In scholis literis studebat. *Patet in hoc*

Cœno-

Cœnobio fuisse ludum literarum, atq; Gymnasia, Magistrorum autem vnus, qui docebant, fuit S. Renouatus. Constat ex Paulo hic, cap. fin. his verbis. Multis nimirum artium disciplinis existebat eruditus. *& paulopòst.* Sacra doctrina, nonnullos discipulos erudiens.

9 Memorabilis amnis Ana. *Hæc verba assumpsit Paulus ex Prudentio in Hymno Sanctæ Eulaliæ.*

Nunc locus Emerita est tumulo
Clara Colonia Vettoniæ,
Quam memorabilis amnis Ana
Præterit.

Hoc flumen est Guadiana. *Mauri enim nomen* Guad, *præposuerunt, quod flumen significat: innuit hoc Marcus Aretius Syracusanus dial. 2. de situ Hispaniæ:* Guadianam Mauritani Hispaniæ dominantes hunc nominarunt amnem, quòd flumen Anæ sonat. Guad siquidem illi, nos flumen dicimus.

7 Aluei sui, *sic melius, quàm in M. S.* Aluei siti.

CA-

CAPVT III.

Nunctus Abbas Africanus Emeritam veniens à ſceleratis eſt occiſus, qui mox à Dæmone ſunt correpti.

DVM Nouella narrare ſtudemus, priſca maiorum geſta omiſeramus. Narrant itaque plurimi ante multa iam curricula annorum temporibus Leuuigildi Viſegothorum Regis ab Africanis regionibus, in Prouinciã Luſitaniam Nunctum noſtrum adueniſſe Abbatem, 1 qui cum aliquandiu ibidem ſanctiſsimæ Virginis Eulalię, degiſſet deuotionis gratia ad Baſilicam ſanctiſsimæ Virginis, in qua eius ſacratiſsimũ corpuſculum requieſcit, 2 deſideranter acceſsit, ſed vt fertur, per omnia aſpectum mulierum, velut vipereum vitabat morſum, non quia aſpernabatur ſexum, ſed ex contemplata ſpecie tentationis metuebat incurrere vitium. Qui vt ſuprà diximus, cũ ad Baſilicam ſanctę Eulalię Virginis, & martyris veniſſet, reuerendum virum Redentum Diaconum, qui ibidem pręerat, multis precibus exorauit, vt quando ad orationem nocturno tempore in Eccleſiam de cella procederet, ita cuſtodias poneret, vt eum nulla penitus fœmina videret. Sed cum aliquos dies in eadem ſancta Eccleſia moras

fecisset, quędam nobilissima, & sanctissima vidua nomine Eusebia [3] omni desiderio cum videre cupiebat, sed ille nullatenus ab ea videri patiebatur. Cum verò eum sæpius diuersi rogarent, vt eā videre dignaretur, & ille nullo modo cōsentiret. At illa coassumpto consilio suprà dictum Redentum Diaconum deprecabatur, vt explicitis Matutinis Laudibus, dum ille de Ecclesia ad cellulam reuerteretur, illa stante in abditissimo loco circa eundem sanctissimum virum lumen cereorum clarissimum fieri prçciperet, vt saltem à longè eum videre mereretur, quod factum. At vbi ignorante illo fœmineus contigit aspectus, ita cum gemitu magno sese in terra prostrauit, ac si magni lapidis ictu grauiter fuisset percussus. Mox ipsi Redento Diacono dicere cœpit. Indulgeat tibi Dominus frater, quid est, quod fecisti? Posthæc deniq́ue egressus inde ad Eremi loca paucis cum fratribus peruenit, ibiq́ue sibi vilissimum construxit. Sed cum crebris illic virtutibus corruscaret, recurrēte opinione ad auditum Leuuigildi Principis peruenit, qui quamlibet esset Arrianus, [4] tamen vt se eius precibus Domino commendaret, eidem viro auctoritate conscripta, de quodam præcipuo loco fisci direxit, vt alimenta, & indumenta exinde cum suis fratribus haberet, quòd vir Dei omnino accipere recusauit. Sed cum ille renueret, & is, qui à Rege dire-

ctus

ctus ad eum venerat, diceret; oblationem filij tui deſpicere non debes, tandem ipſo compellente ſuſcepit. Poſt aliquos verò dies homines habitantes in eodem loco cœperunt adinuicem dicere. Eamus & videamus, qualis eſt dominus noſter, cui dati ſumus. Cumque fuiſſent, [5] & vidiſſent eum veſte ſordidum, habitumq; deformē, contemnentes eum dixerunt mutuò. Melius eſt nobis mori, quàm tali Domino ſeruire. Ac deinde poſt aliquos dies cū vir ſanctus in ſyluis paucis ouibus depaſcendis proceſsiſſet, reperientes eum ſolum fractis ceruicibus crudeliter necauerunt. [6] Poſt non verò longum temporum interuallum ipſi homicidę comprehenſi, & Leuuigildo Regi in vinculis ſunt pręſentati, cui dictum eſt ipſos eſſe, qui ſeruum Dei interemiſſent. Ille autem, quamuis non rectæ fidei eſſet, rectè tamen promulgauit ſententiam dicens. Abſoluite illos à vinculis, & ſinite abire, & ſi ſeruum Dei occiderunt, ſine noſtra vltione vlciſcatur Dominus mortem ſerui ſui. At vbi dictum eſt iſtud, & illi abſoluti ſunt, ſtatim eos Dęmones corripuerunt, & per plures dies afflixerunt, quovſque crudeli morte animas è corpore excuſſerunt.

AD CAP. III. NOTAE.

1 NVnctum nostrum aduenisse Abbatē. *Nunctum fuisse Ordinis S. Benedicti, ex his verbis colligi potest; quoniam Paulus Ordinis fuit S. Benedicti, vt sup. cap. 1. diximus, & loquens de Nuncto dicit nostrum Abbatem, sed omnes nostri Auctores asserunt fuisse Ordinis Diui Augustini ex eo tantùm, quòd Africa deuenerat, in qua Ordo S. Augustini peramplus erat, ita Morales lib. 11. c. 7. Padilla cent. 6. cap. 50. Mariana lib. 15 cap. 13. Marquez d. cap. 12. §. 8. Baronius tom. 7. anno 589. num. 44.*

2 In qua eius sacratissimum corpusculum requiescit. *Ita testatur Diuus Gregorius Turonensis de gloria martyrum lib. 1. cap. 91. tom. 7. Vet. Patr. & multi peregrini inuiserunt eum, & causa eius invisendi peruenit S. Abbas Nunctus.*

3 Quædam nobilissima, & sanctissima Vidua nomine Eusebia. *Ad hanc dominam scripsit Diuus Gregorius Pontifex Maximus illam epistolam, quæ operibus suis cum titulo Euse-*

Eusebiæ Patritiæ inuenitur, cuius vir Strategius appellatus est. Hanc Paulus nobilissimam dixit, quia gener Patritio fuerat, & propter eius æstimationem Redentus Diaconus non ausus est negare illi, quòd petebat de videndo S. Abbatem Nunctum. Nec obstat, quòd Gregorius Regiam appellet vrbem, in qua erat Eusebia. Emeritæ enim hic titulus, aliíq; maiores attribuebantur. Euprandus Subdiaconus Toletanus loquens de Duce Claudio, dicit fuisse ex genere Romano vrbis Regiæ Emeritæ. Fuit enim hæc Ciuitas Regia, magisq; præcipua in Hispania, vt in Historia sua probauimus, & affirmat Ausonius Gallus lib. de claris vrbibus, cap. de Emerita.

Emerita æquoreus quam præterlabitur amnis
Submittit cui tota suos Hispania fasces.

Sic enim legendũ est, videlicet, Emerita æquoreus, *secundum impressiones Ausonij antiquas, præcipuè Lugduni ann.* 1558. *& non* Hispal. æquoreus, *vt inuenitur in recentiori impressione Burdigali facta ann.* 1596. *quamuis hanc lecturam conetur persuadere Elias Vinetus ipsius*

ipsius Poëtæ commentator, quia notorium est, Emeritam temporibus Ausonij, qui fuit ann. Domini 370. Imperantibus Valentiniano, & Gratiano fuisse Hispali illustriorem. Nam Plinius lib. 4. cap. 22. inter quinq; Colonias Lusitaniæ eam primo loco descripsit. Coloniæ, Emerita Augusta Anæ fluuio apposita, Metalinensis, Norbensis, Cæsareana cognomine, contributa sunt in eam Castra Iulia, Castra Cecilia, quinta est Scalabis, quæ Præsidium Iulium vocatur. *Et iterum loquens de Conuentibus Romanorum d. cap. 22. inquit:* Vniuersa Prouincia diuiditur in Conuentus tres, Emeritensem, Pacēsem, Scabalitanum, *& è conuerso Hispalim loco vltimo in Bætica posuit lib. 3. c. 1.* Iuridici Conuentus ei quatuor, Gaditanus, Cordubensis, Astigitanus, Hispalēsis. *Et Emerita appellata fuit magna, & clarissima à recensioribus, & antiquis Auctoribus, & Cassan. in cath. 12. p. cōsid. 60. Emeritæ inter Ciuitates Hispaniæ primas dedit, & sic ex alijs carminibus ipsius Ausonij confessus est ipse Vinetus, sibi contrarius in epist. 24. ad Paulinum.*

Et

Et quod terrarum cœliq; extenditur inter
Emeritæq; amnes, latæq; fluenta Garũnæ.
Ausonium hic possuisse Emeritã pro Hispania: & in suprà dicto carmine de claris vrbibus locutũ fuisse de Emerita. De Emerita carmẽ est octauũ in lib. de claris vrbibus; *& nos latiùs probabimus in Hist. huius ciuitatis lib.* 1. *c.* 11.

4 Leouigildi Principis peruenit, qui quãlibet esset Arrianus. *Hic Rex mortuo Liuua cõsorte anno Domini* 572. *in Hispania regnare cœpit. Et quamquam Arrianus fuit, vt hìc asserit, moriens conuersus est; obiuit verò anno* 586. *& dicemus iterum infrà cap.* 16.

5 Cumq; fuissent, *ita in M. S. sed melius dici potest,* cumq; iuissent.

6 Fractis ceruicibus crudeliter necauerũt. *Ideoq; S. Nunctus habendus est martyr, siquidem in odio iustitiæ interfectus est, propter quã interemptus fuit, quòd sufficit ad martyrium secundum Augustinum tom.* 8. *super Psalmum* 140. *in fine, & D. Thom.* 2. 2. *q.* 124. *art.* 5. *ad primum, & Pater Marquez loco sup. citato, connumerat eum martyribus.*

CAP. IV.

Paulus medicus, natione Græcus, fit Episcopus Emeritensis, & mulierem ex partu laborantem, sanat.

OMITTENTES phaleratas verborũ pompas, & pręter mittentes garrulas fœcundię spumas, nunc etiam ea, quę omnibus modis vera sunt, simpliciter, veraciterq; narramus: Nam si ea, quę luce clariora esse noscũtur, obscuris sermonibus inuoluere voluerimus, audientium animos non instruimus, sed fatigamus, quia cum multorum imperitorum minus intelligit sensus, fatigatur auditus, & ideo sicut superius polliciti sumus, simpliciter sanctorum Patrum olim gesta miracula secuti relatu multorum ad nos perlata sunt, intimamus. Referunt multi sanctorum virorum nomine, Paulum natione, Gręcum, antè medicum de Orientis partibus in Emeritam vrbem aduenisse, qui cum ibidem multo tempore degens sanctitate, & virtutibus multis polleret, & humilitate, atq; benignitate cũctos superaret, ei à Domino collatum est, vt prędictę ciuitatis promeretur Pontificatum. [1] At vbi eligente Domino ordinatus est Episcopus, omnes statim Deus cõturbationum procellas, quę eandem Ecclesiam tempore

pore prædecessoris sui [2] conturbauerant, abstulit, & nimiam tranquillitatem Ecclesię suę eius precibus condonauit. Qui cum pacificè, atq; benignè fauente Deo cunctis ciuibus suis prçesset, & cunctorum effectibus dulcifluum sacri pectoris sui exhiberet effectum, contigit cuiusdam primarij ciuitatis ex genere Senatorum nobilissimi viri [3] ęgrotasse matronam, quę & ipsa illustri stemmate progenita nobilem trahebat prosapiam; quę cum nuper nupta in vtero concepisset, [4] ipse infantulus in ventre collisus est. Cui cum multi medici diuersa adhiberent, & nullum remedium medellę sentiret, sed in graui discrimine posita quotidie morti propinquaret, suprà dictus illustris eius vir, eo quòd illi nihil charius esset coniuge, quam nouiter coniugij gratia sortitus fuerat, contentis vniuersis medicis spe recuperandæ salutis ad eundem sanctum virum cucurrit, vt quia Dei seruus erat, orationibus suis Dominum pro eius matronę salute precaretur, aut certè, quia medicus esset, non duceret indignum manu sua ęgrotę gratiam præbere medendi: sed vir Dei protinus respondet dicens. Mihi, quod hortaris facere non licet, qui etsi Sacerdos indignus Domini sum, & sacrificium manibus meis offero Domino, & ideo quod dicis non possum implere, ne postmodum pollutus sacris altaribus manus inferam, & diuinę potestatis mox furorem incurram. & adiecit. Ibi-

mus in nomine Domini. Visitemus eam, & demus medicos Ecclesiæ, qui illi adhibeant medicinam, & quantum scimus ostendamus, & qualiter cura fiat. 5 Nos tamen facere manu propria minime possumus. Ille verò sciens, quia nullius alterius medici cura valeret, & quia iā vxor sua pene mortua esset, cœpit cum fletu magno obnixe flagitare, vt nullũ illuc dirigeret, sed ipse per se iret, & quod sciebat manu propria impenderet, sed cum ille nō annueret, neq; penitus consentiret, vniuersi fratres coram positi, & ipsi cum lacrymis rogauerunt, vt iret. At ille ait. Noui quòd multæ miserationis sit Dominus, & credo cũ iuero, quòd infirmę pristinā reformet salutē, & mihi statim concedat veniā propter meā pręsumptionem, sed homines malos hanc mihi causam obijcere postmodũ omnino non dubito: 6 cui cũ omnes fratres sui responderent, nullus ex nobis propterea aliquid dicturus est, sed perge Domine, & omni celeritate age illud, quod mercedi tuæ proficiet. 7 Tandem eorum precibus compulsus proficisci pollicitus est, ita dumtaxat, vt prius Domini exquireret voluntatē, ne temere incedens facilè ageret, pro quo difficilè multatus Dei iudicio ad veniā rediret, illico Basilicā sanctissimæ Virginis Eulaliæ petijt, ibiq; prostatus, pauimento per totum diem incubuit, atq; in oratione indefessus perseuerans sequentem continuauit noctē, qui mox inibi oracu-
lo

lo diuino commonitus est, statimque consurgens ad mulieris ęgrę domum incuntanter perrexit, ad festinus properauit, orationem fudit, manus in nomine Domini super infirmam imposuit, in spe Dei mira subtilitate incisitionem subtilissimam subtili cum ferramento fecit, atq; ipsum infantulũ iam putridum membratim cõpadiatim abstraxit. Mulierem verò iam mortuam, ac semiviuam, admittente Deo, viro suo confestim incolumem reddidit, cui pręcepit, vt vltra virũ non cognosceret, quocũq; enim tempore coitum virilem agnouisset, mox ei deteriora affutura essent discrimina, sed illi nihilominus pedibus eius peruoluti gratias retulerunt, & omnia, quę vir Dei pręceperat, in omnibus se esse seruaturos promiserunt, imprecantes Dominũ, vt si non custodirent, peiora illis postmodum aduenirent. Facta est in domo illa inęstimabilis lętitia, immensumq; gaudium, atque vniuersi in Dei laudibus acclamantes, orantes, tripudiantesq; dicebant, quòd vere misisset Dominus angelum suum, qui illis misertus fuisset. Tùm deinde fecerunt de rebus suis talẽ conscriptionẽ, vt de pręsenti sanctus vir medietatẽ ex omnibus, quę habebant, acciperet. Alia verò medietas post eorum obitũ integra, & intemerata ad eius pertineret ditionem. Tanta namq; illis inerat copia rerum, vt nullus Senatorum in Prouincia Lusitanię illis reperiretur locupletior : quod ille

 pror-

prorsus recusauit, ac renuit, nolluitq; accipere, sed illis obsecrantibus, ac nimium importune efferétibus, & sic tandem coactus est suscipere, quod accipiens non tam proprijs vsibus, quàm egentium præcepit deseruire necessitatibus. Illi autem, à quibus ei oblatum est perseuerantes cum timore Dei in castitate post non multo temporis interuallo ad supernam patriam vocatione diuina adsciti sunt, quibus defunctis omne eorum patrimoniũ sanctissimns Paulus Episcopus promeruit, & qui peregrinus, nihilq; habens aduenerat, factus est cunctis petentibus potentior in tãtum, vt omnis facultas Ecclesiæ ad comparationem bonorũ illius pro nihilo putaretur.

AD CAP. IIII. NOTÆ.

1 PRædictæ ciuitati promeretur Pontificatum. *Paulus ad Episcopatum Emeritensem promotus fuit, sed clam nobis est, quo anno, tamẽ scimus Fidelẽ consobrinũ ei successisse, qui anno 571. vita excessit, quo Nausona electus est, qui illi successit; fuit autẽ Metropolitanus. Episcopi enim huius Ciuitatis fuerunt primæ sellæ: quia cum tempore Romanorum, tum Gothorum, totius Lusitaniæ caput fue-*

fuerat, ita Prudentius asserit loquens de Virgine & Martyre Eulalia Emeritensi in hymno Sanctorum Martyrum Cæsaraugustanorum. Lusitanorum caput oppidorum. Atq; ita ex diuisione Episcopatuum perspicitur, quam Cōstantinus, Vbambaq; fecerunt, de qua meminerunt Rasis, & Rex Ildephonsus in Histor. gen. 1. p. c. 143. Morales lib. 10. cap. 33. Loaisa in collect. Conciliorum in Con. apud Lucum.

2 Prædecessoris eius. Quis fuerit Episcopus Metropolitanus prædecessor Pauli post Pōtamium non pro comperto habetur. Pontamius enim affuit in primo Concilio Bracharensi anno 444. de quo P. Franciscus Portocarrero è Societate Iesu, lib. 5. Ildephons. capit. 27. & D. Maurus Ferrer. lib. 2. S. Iacobi c. 22. & 24. meminerunt. Prædecessores autem Pontamij fuerunt Epitatius à S. Petro Apostolo in Ecclesia Emeritensi relictus; Felix, de quo S. Cyprianus in epistol. 58. Vassæus in Chron. anno 256. Liberius, qui affuit in Concilio primo Eliberitano anno 312. & in Arlensi ann. 314. Florētinus, qui cum Osio Cordubensi affuerunt in Concilio Sardinensi anno 347. de quibus Fla-

uius

uius Dexter in chron. anno 356. Idatius qui affuit in primo Concilio Cæsaraugustano anno 380. Pontamius anno præd. 444. & post eum Paulus inuenitur.

3 Cuiusdam primarij Ciuitatis ex genere Senatorum nobilissimi viri. *Apparet ex his verbis aliquos nobilissimo genere Senatorum Romanorum Emeritæ conseruari.*

4 Quæ cum nuper nupta in vtero concepisset. *Sic emendatur M.S. vbi dicitur*, quæ cum nuper nupta in vtero accepisset.

5 Cura fiat, *in M.S.* cura faciatur.

6 Omnino non dubito. *Adiecimus, non quia in M. S. deest vbi dicitur*, omnino dubito.

7 Quod mercedi tuæ proficiet. *Valde perspicuum est, ex his verbis Gothos solere vti illa vrbanitate, qua nunc vtimur vulgari.* Vuessamerced. *Et facile intelligi potest ex tempore Gothorum inter nos extitisse.*

CAP.

CAP. V.

Fidelis natione Græcus filius ſororis Pauli Epiſcopi Emeritenſis viuenti auunculo ſubrogatur in Epiſcopatu.

DENIQVE cum pluribus per annos fœlici tempore fœliciter ſua cum plebe frueretur, [1] & iucũde Deo viuens, plenus ſemper virtutibus floreret, accidit die quadam de regione, qua ipſe oriundus extiterat, negotiatores Græcos in nauibus de Orienti adueniſſe, atq; Hiſpaniæ litora contigiſſe. Cũq; in Emeritenſem Ciuitatẽ perueniſſent, [2] ex more Epiſcopo prębuerunt occurſum; qui cũ ab eo benigne fuiſſent recepti, ac de atrio eius egredientes in domum, in qua hoſpitabantur, fuiſſent regreſsi, ſequenti die ad eum munuſculum miſerunt pro gratiarum actione, deferente puero nomine Fideli, qui cum eis cauſa mercedis percipiendæ de regione eorum conductus aduenerat. Cumq; eius fuiſſet præſentatus aſpectui, & quę grato animo directa detulerat, gratanter vir ſanctus ſuſcepiſſet, eum cœpit ſigillatim ſciſcitari, quò vocaretur nomine, de qua Prouincia, vel de qua Ciuitate eſſet? Cum ergo ille nomen ſuum, & Ciuitatem ſuam nominaret, videns adoleſcentem bonę indolis cuncta eum

per

perordinem interrogauit, & nomina parentum requiſiuit. At ille conſequenter ſecundum interrogationem patriam, ciuitatem, vicum, nomina parentum ſimpliciter manifeſtauit. Hęc eo dicente cognouit nomen ſororis ſuę, qui ſtatim exiliēs de ſede ſua in conſpectu omnium amplexibus eius incubuit. Commota quippè fuerant ſuper illum viſcera eius, atq; irruens ſuper collum eius, & diutiſsime exoſculans præ gaudio vbertim fleuit: ſtatim ſuprà nominatos negotiatores acceſſere præcepit: quibus ait: Puerum mihi iſtum concedite, & quid vultis à me poſtulate. At illi reſponderunt. Hoc facere nequaquam poſſumus; quia ingenuus homo eſt, & à parentibus eum pro noſtro ſolatio conductum accepimus, ſine iſto ad parentes ſuos nullatenus remeare, nec faciem eorum vltrà videndi habemus licentiam, ſi hunc in tā longinqua regione dimiſerimus. E contra ille ait. Compertum vobis ſit, quia ſi hunc mihi non dimittitis vos in patriam veſtram minime reuertetis, ſed accipite à me pecuniam copioſam, & abite ſecuri pergentes cum pace. Hæc illi audientes, neq; ampliùs tantæ poteſtati obſiſtere valentes, aiunt ad eum. Dic nobis Domine, quid cauſę eſt, vt hominem tibi incognitum tanto amore diligere digneris? ille verò reſpondit: proximum ſuum eſſe, ſibiq; affinitate valde vicinum. Et addidit. Abite in nomine Domini abſq; aliqua hæſitatio-

ne,

ne,renunciantes ſorori meæ: quia filium eius ob conſolationem captiuitatis meæ penes me retinui, qui per eos diuerſa mittens munera ſorori, ipſis quoq; nautis multa largitus eſt dona,ac ſi ditati eius muneribus ingreſsi ſunt in patriam ſuam cum gaudio magno. Quibus redeuntibus ſtatim prefatum adoleſcentem tonderi præcepit,ac Deo omnipotenti ſeruiturum obtulit, 3 & veluti alterum Samuelem in templo Domini diebus, ac noctibus ſtrenue erudiuit, ita vt infrà paucorum curricula annorum omne officium Eccleſiaſticũ, omnemq; Bibliothecam Scripturarum diuinarum perfectiſsime doceret. Deinde verò per ſingulos gradus eum perducens Diaconum ordinauit, qui mox effectus habitaculum Spiritusſancti omnibus virtutibus,ita eſt irradiatus,vt ſanctitate, charitate,patientia,& humilitate vniuerſum tranſcẽderet clerum. Sic nimirum Deo, & omnibus ſecurum,effabilemq; prebuit, vt vnum illum putarent homines ex numero Angelorum. Interea cũ pluribus annis Deo irreprehenſibiliter deſeruiret, & ſuprà nominato nutritori ſuo dulci obſequio in omnibus obediret, ac ſenectutem eius abſq; aliqua offenſione ſuauiter oblectaret. Idẽ ſuprà nominatus pater exactis multis iam curriculis annorum,atq; etate decrepita in ſenium vergens, hunc ſibi ſucceſſorem elegit. Moxq; etiam in loco ſuo ſe viuẽte ordinauit,& omnium bonorum ſuorum

hæredem instituit, ita enim testamentaria sanctione decernens, vt si eum Clerus Emeritensis habere vellet Pontificem, omnes res, quas illi contulerat, post obitum suum suprà dictæ Ecclesiæ delinqueret, sin aliàs habere liberum arbitrium, quidquid voluisset, & de prefatis rebus discernere, vel iudicare. Hoc sanè decretum vir sanctus reuelante sibi Spiritusancto promulgauit 4 prophetiæ gratia, præscius nō defuturas eidem viro multorum obsistere inuidias hominum improborū, qui eum canino more circumquaque postmodū oblatrarent, atque inuidiæ faucibus succensi mordaciter laniarent. Interim dum auspice Domino constituisset eum Antistitem, ita ei adstare, & deseruire cupiebat, sicut Diaconatus tempore ministrare consueuerat. Ita vt exuens sibi casullam more ministri coram eo adsistens seruitiū omne persolueret. Quem ille id agere prohibuit, & vt iam deinceps auctoritatem Pontificatus sui constanter tenere admonuit. Ipse verò sanctissimus senex mox derelinquens atrium, & omnia priuilegia honoris sui se ad Basilicam sanctæ Eulaliæ in cellulam vilissimam contulit, qui cum aliquandiu ibidem positus à sæculi huius procellis absolutus, & in multa quiete constitutus, in cilicio, & cinere cubans pro totius mundi piaculis Dominum precaretur, migrauit corpore.

AD CAP. V. NOTÆ.

1 DEnique cum plurimos per annos felici tēpore feliciter cum plebe fruetur, *id est, Paulus, de quo in cap. 4.*

2 Cumque in Emeritēſem Ciuitatem perueniſſent, *ſic in M.S. pluribus in locis, ſed meliùs dicetur*, in Emeritenſem Vrbem.

3 Quibus redeuntibus ſtatim præfatum adoleſcentem tonderi præcepit, ac Deo omnipotenti ſeruiturum obtulit. *Olim ſerui barbam, nec capillos prolixos habebant: tonſi enim deambulabant in ſignum ſeruitutis, & quando veniebant Domini eorum, quorum ſerui erāt, in cataſtatam immittebant, & facta corona veniebant. Colligitur ex Valer. Max. lib. 9. c. 10.* Sola Polia iudicaret oportere publicè eos verberatos ſecuri percuti imbellem multitudinem ſub corona venire. *Hac de cauſa reos claſſarios, vulgò,* Galeotes forçados, *ſolere radi capillis, barbaque: quia ſunt ſerui Regis, aut eius cuius fuerit Claſsis. Hinc Monachi, & Sacerdotes barbas, & capillos raſos deferūt, præ ſe ferentes eſſe ſeruos Domini, ſeu quia*

capilli pro cogitationibus capi solent. Rupertus cap. 4. in Cantic. cantic. Et tondētur tanquam relinquentes omnes mundi cogitationes. Hac de causa Virgines Religionem ingressuri tonderi: nam Vestales capillos deponebant sub trunco arboris Lethi, tanquam oblituræ mundi cogitationes. Et ideo pueri, qui se offerunt Deo tondebantur: & ita seruatur hodie, quando prima tonsura initiantur, & initiati incipiunt Deo dedicari, esseq; eius seruos. Cum igitur Paulus filium sororis Deo seruiturum offerret, iussit tonderi tanquam seruum Dei, cui seruiturus erat, aut quia tunc initiatus fuit prima tonsura.

4 Decretum vir sanctus, reuelante sibi Spiritusancto, promulgauit. *Sanctus Archiepiscopus Paulus, nisi Dei reuelatione, speliali q; permissione omnem rem suam Ecclesiæ legare, non poterat ea conditione, si Clerus illius consobrinum suum Archiepiscopum creabat: quoniam sine Dei voluntate reuelationeq;, esset simonia, cap. cùm in Ecclesiæ, c. tua nos, de simonia.*

5 Migrauit è corpore. *Decessit itaque*

Paulus

Paulus, Episcopus Emeritẽsis, valde senex ann. 568. secundum M. Maximum apud Dextrũ, cui successit Fidelis, vt refert Paulus Diaconus cap. sequenti, & sic M. Maximi Chronicon. est mendose translatũ: vbi dicit: Paulus Emeritẽsis Episcopus Episcopo succedit Fideli: *tamen non Paulus Fideli, sed Fidelis Paulo successit, quo omnes nostri Auctores transeunt.*

CAPVT VI.

Fidelis Episcopus possessiones suas reliquit Ecclesiæ sanctæ Eulaliæ, Clericos à ruinæ periculo liberat.

POST cuius discessum, quidam pestiferi homines iuxta id, quod vir Dei prędixerat, cõtra Beatissimum Fidelem Episcopum verbis malignis musitare cœperunt, vt eum de loco, quo constitutus fuerat, per quãcumq; occasionem depellerent; quod cum ille perpendisset, & se vnà cum rebus suis ab eorum insectatione separare voluisset, comperto illi, quòd si ille sublatis de iure Ecclesiæ prædijs suis se ab eis separaret, illis omnino nihil remaneret, plus inuiti licèt, quàm sponte pedibus eius prostrauerunt, ac ne eos deseret

reret multis precibus flagitauerũt, quibus ille nõ- unquam repugnans præbuit ad censum, [1] vt & curam regiminis gereret, & postmodũ omne patrimoniũ suum delinqueret Ecclesiæ, quod ita factũ est, vt eo tempore tantum Ecclesia locupletata est ipsa, vt in Hispaniæ finibus nulla esset opulentior. At ita Domino cooperante confirmata est in eum cunctorum pura, & syncera dilectio in tantùm, vt omnes vno, eodemq; animo ardore immensæ charitatis flagrantes erga eum immenso igni sancti amoris æstuarent, vt vnum cor, & labium cum eo effecti, nullo penitùs modo ab alterna dilectione dissidio intercurrente discreparent. Quoniam tanti vatis memorauimus nomen, operæpretium videtur nobis esse perspicuum de eius multis, quibus crebrò effulsit, virtutibus quandam exiguam particulam memoriæ tradere. Quodam igitur Dominico die, dum in atrio cum multis filijs Ecclesiæ resideret, vt mos est, Archidiaconus cum omni Clero in albis ab Ecclesia venientes coram eo adstiterunt. Mòxque ille consurgens Diaconibus ex more thuribula gestantibus, atque ante eũ præcedentibus cum vniuersis, qui aderant ad Ecclesiam perrexit, vt qualiter Deo adiuuante Missarum solemnia celebrarent. At vbi vniuersi cum eo de atrio paululum ferè decem graduum processerunt foràs, illicò ab imis fundamentis omnis repętè amplissimi atrij fabrica corruit, & neminem

ibi

ibi oppreſsit Deo iubente. Ex qua re penſandum eſt, cuius meriti iſte vir fuerit, quia ita apud Deum ſuis precibus obtinuerit, vt priùs non daretur antiquo hoſti poteſtas tantæ fabricæ perpetrare ruinam, quàm ipſe cūctos foràs eductos integro numero Deo miſerãte ſaluaret. Sed vt in tanto periculo nullus periret ob maxima merita ſanctiſsimæ Virginis Eulaliæ fuiſſe præſtitum nullus ambigat. Cùm verò ſolicitè requirens inueniſſet, quòd nemo periret, [2] non animum ſuum cõturbauit vlla re, ſed magis gratias Domino egit, ſacrificiũ Deo lætus obtulit, dièmque ipſum iucundè in Domino cum omnibus ſuis potitus eſt. Poſt nõ multum verò tẽporis interuallum ſedis directæ fabricam reſtaurauit, ac pulcris Deo opitulante patrauit, ita vt nimirum ipſius ædificij ſpatia longè, lateque altis culminibus erigens, pretioſaque atrij columnarum ornatibus ſuſpendens, ac pauimentum omne, vel parietes cunctos nitidis marmoribus veſtiens, miranda deſuper tecta contexit. Tum deinde miro diſpoſitionis modo Baſilicam ſanctiſsimæ Eulaliæ reſtaurans in melius in ipſo ſacratiſsimo templo celſa turriũ faſtigia ſublimi produxit in arce.
Hic vir beatus in hoc corpore poſitus crebrò cum Sãctorũ cateruis in Choro Eccleſiæ ſtans, & pſallens viſus fuiſſe perhibetur, & alia multa narrantur, quæ ſcribi propter prolixitatem ſui, ne faſtidiũ legentibus præbeant, deſiuimus. [3]

AD

AD CAP. VI. NOTÆ.

1 PRæbuit ad censum. *Ex his verbis colligitur, quàm antiqui sint cēsus in Hispania, atque reditus annales, qui per impositionem alicuius quantitatis, præcipuè super aliqua prædia, aut eorundem dationem, singulis annis accipiuntur. De his meminit Martial. lib. 5. c. 37.*

Cum sibi redire depatruelibus fundis
Ducenta clamat Cochinatus Euclides,

Atq; Ouidius 2. de Ponto.

At reditus iam quisq; suos amat.

Et lib. 1. Amorum.

Turpe tori reditu cēsus augere paternos.

2 Cum verò solicitè requirens inuenisset, quod nemo periret, *in M. S. deficiebat.*

3 Desiuimus, *in aliquibus,* deseruimus.

CAP.

CAP. VII.

Fidelis Episcopus visus interesse Sanctorum Choris.

DIe quodam puerorum familiarem suum ad locũ, cui Caspiana [1] vocabulũ est, qui ab Emerita Vrbe millibus sexdecim distat, direxit, ac præcepit ei sub omni festinatione reuerti; qui cum iuisset, & eodẽ die reuerti non occurrisset, ibidem mãsit, cui cum in ipso noctis initio iam dormienti fuit visum gallos cantasse, statimq; expergefactus caballum suum ascẽdit, atq; festinus properans ante mediam noctem ad portã ipsius Ciuitatis, quæ appellatur porta pontis, [2] peruenit, qui cum ibidem diutissimè residens, cerneret, quòd ante horam opportunam consurrexisset, & quòd quamuis clamasset vociferanter, nullus ei portã aperiret, visum est ei caballo suo paululum herbæ pabulum dare, quovsq; aliquis forsan portam reseraret. Et ecce subitò intempestæ noctis hora eleuans oculos suos vidit eminùs globum igneum ab Ecclesia sancti Fausti, quæ ab Vrbe fere milliario distat, [3] procedentem, atq; ad Basilicam sanctæ Lucretiæ [4] peruenientem, qui cum tacitus contẽplaret, quidnam esset. Nec mora. [5] Et ecce multitudo Sanctorum, quibus illud

lumen præibat, venientium per pontẽ ad portam vsq; peruenerunt, cum quibus etiam gradiebatur ſanctiſsimus Fidelis Epiſcopus. At vbi ventum eſt ad portam, videns ſuprà dictus puer aucta candidatorum agmina, ipſum etiam ſanctum Fidelem chlamyde niuea indutum in medio eorum properantem cernens obſtupuit, & exterritus, atq; tremebũdus præ timore factus eſt velut mortuus. Ille verò clauſtra portarum diuinitùs reſerauit, moxq; ingreſsi ſunt Ciuitatem, 6 quibus ingreſſis ille conſurgens, atq; volens poſt eos ingredi, nullatenus potuit: quia portam ita clauſam, ſicut priùs inuenit, qui cum primo diluculo aperta perueniſſet ad atrium, protinùs eum vir ſanctus interrogauit, quali hora de prædicto loco egreſſus fuiſſet? qui illi, & horam, qua ſurrexerat, & moram quam ad portam fecerat, enarrauit. Quem cum vir Dei interrogaret, ſi aliquid vidiſſet? ille vidiſſe ſe fateretur, hũc admonuit, vt quovſq; ipſe ſanctus in corpore eſſet, nulli referret, nę id ad immane periculum pertineret. Alia quoq; vice ſimiliter eum quidam religioſus cum multitudine Sanctorum quadam nocte de Eccleſia ſanctę Eulaliæ egredientem, & per Baſilicas Martyrum 7 euntem vidiſſet, ſed incaute agens multis ſtatim indicauit. Poſtremò ad virũ Dei veniens ei, quod viderat, retulit. Cui ille ait. Hoc quod vidiſti, iam alicui dixiſti? qui ſtatim reſpondens ſimpliciter

pro-

professus est, se dixisse. Ad hęc ille inquit, Indulgeat tibi Dominus frater, non rectè fecisti: scio quia tibi vtiq; in futuro iudicio nō reputabitur ad culpam. Interim vade, cōmunica, & da nobis osculum valefactionis, [8] quia iturus es. Tamen & domui tuę sub omni festinatione dispone, aut si desideras remedium pœnitentiæ, percipe. Qui mox accepta pœnitentia, dispositaq; domo sua valefaciens cunctis, sequenti nocte migrauit è corpore.

AD CAP. VII. NOTÆ.

1 CAspiana. *Hoc oppidum quatuor leucas aberat ab Emerita vltra flumen Guadianam in Bætica, siquidem puer Fidelis ad ostium pontis stetit.*

2 Porta pontis. *Hæc enim erat ibi vbi nunc in ponte sacellum S. Antonij, fundamenta enim ostendunt; quæ autem sunt ad pōtis ingressum, sunt arcus triumphalis, qui ibi fuit, eumq; Mahomad Rex Cordubæ diruit, vt inquit domin. Rudericus in Historia Arab. c. 28.* Sequēti anno Emerita rebellauit, cui adueniens fecit destrui arcum pontis, & Ciues deditioni se offerentes, milites cum filijs, & vxoribus

obtulerunt, vt obsides Cordubam ducerentur. Quod Rex annuens fecit destrui muros Vrbis, præter præsidium, quod suis bellatoribus inuestiuit.

3 Ab Ecclesia Sancti Fausti, quæ ab Vrbe fere milliario distat. *Sanctus iste Faustus cum fratribus Ianuario, & Martiali pro Domino combusti coronam martyrij Cordubæ acceperunt anno 306. secundum Vasæum, & Martyrologia; & quia etiam fuerunt fratres Sanctorum Seruandi, & Germani Martyres Emeritenses; ideo huius Vrbis Catholici ipsi Sancto Fausto, & fratribus Ecclesiam dicarunt, quæ vltra pontem Anæ fere milliario fuisse dignoscitur.*

4 Ad Basilicam Sanctæ Lucretiæ. *Hæc oriunda fuit Emeritæ in ea nono Kalendas Decembris anno Domini 305. secundum Martyrologia, & Vasæum martyrium passa fuit. Cuius Basilicam possumus intelligere in eodem loco fuisse, vbi sacellum Dominæ nostræ Lorentinum est, nomen, & capella maior, duæq; Collaterales (quæ sunt cubicula eremitarum) clarè demonstrant, quia ædificia sunt Gothorum, esseq;*

tam

tam prope à ponte, vbi Paulus Diaconus describit, id certissimum facit.

5 Qui cum tacitus contemplaret, quidnam esset, nec mora. *Ita in M.S. cuius sensus ita est, qui cum tacitus contemplaret, quidnam esset, nec mora, scilicet est, aut fuit, quia dum puer videbat, & contemplabatur ea, quæ in textu narrantur, Fidelis magna comitante caterua Sãctorum ad vrbem veniebat, eiq; appropinquabat absq; vlla mora, & sic vt sermo lucidior sit, non legendum est,* contemplaret, sed contemplaretur.

6 Moxq; ingressi sunt Ciuitatem. *Melius dicetur* Vrbem.

7 Ecclesiæ S. Eulaliæ egredientem, & per Basilicas Martyrum euntem vidit. *Non procul ab Ecclesia Sanctæ Eulaliæ est sacellum Martyrum Sanctorum Fabiani, & Sebastiani, quod quamuis sit ædificium centum annorum, tamen ex Gothorum tempore fundamenta retinet, ibiq; eorum lapides, sepulcraq; inuenta fuerunt. Itaq; intelligi potest, fuisse vnam ex numero Basilicarum, de quibus Paulus loquitur, & ex sequenti capite constat*

fuisse

fuisse sanctorum Cypriani, Laurentij, & aliorum martyrum.

8 Osculum valefactionis. *Quia morituri solebant dare amicis osculum valefactionis, id est, ad vltimum vale, & hoc ante communionẽ, ita de sancto Seuerino Noricorum Apostolo refert Eugippus in eius vita c.44.* (Cunctos per ordinem ad osculum suum iussit accedere, & Sacramẽto Communionis accepto) *relatus à Iacobo Gretserio de Sancta Cruce tomo 1. lib.4.c.26. & 29.*

CAPVT VIII.

Fidelis Episcopus visione admonitus inter pauperes migrat ad Dominum.

CVidam viro religioso iterum intendere ad officium Ecclesiasticum recurrenti quadã noctè, dum in lectulo suo intempestæ noctis silentio sopore depressus iaceret, Visum est, quod signum ad Matutinum dedissent, qui statim consurgens omni festinatione ad Ecclesiam, ne ei tempus sacrificij præteriret, occurrit, cursuq; rapidissimo properans anhelabũdus illuc peruenit. At vbi ingressus est Ecclesiæ sanctæ Mariæ, quæ

sancta

ſancta Hieruſalem nuncvſq; vocatur, [1] audiuit voces miræ modulationis canentium, reſpicienſq; ad chorum vidit ſtantem multitudinem Sanctorũ; qui nimio pauore concuſſus, atq; in tremore verſus ſeſe in angulum Baſilicę ſilenter contulit, atq; tacite contemplans, ſolicite auſcultans audiuit cõſueto ordine omne ab eis officium eſſe completũ. Quo expleto adhuc ante gallorum cantum cum Laudibus peruenerunt ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ ad Baſilicam ſancti Ioannis, in qua baptiſteriũ eſt, quę nimium contigua ante fatæ Baſilicæ pariete tantum interpoſito vtraq; vno tecti tegumine contegitur. Explicitiſq; Laudibus cœperunt ad inuicem dicere. Ecce continuo hora eſt, vt ſignum dari debeat, ob hoc priùs neceſſe eſt, vt id pro quo deſtinati ſumus, ordinemus. Cùmq; hoc dixiſſet, apparuerunt in conſpectu eorum AEtiopes tetri, nimiumq; terribiles, quorum ſtatura videbatur eſſe Gigantis, nigredo perquam teterrima ita, vt ex ipſo eorum toto intuitu, nimiumq; atro vultu palam cernenti daretur intelligi ipſos proculdubio Tartareos eſſe miniſtros, quiq; etiam rhompheas acutiſsimas ſuis geſtabant in manibus: quibus mox Sãcti dixerunt: Sub omni celeritate pergentes ad atrium ingredimini cellam, in qua ſanctus Fidelis iacet, & percutite eum vulnere graui in corpore, & anima eius, quamtocyus egrediens, è corporali catena nobiſcum ad Dominicum noſtrum

ſtrum Ieſum Chriſtũ,& ad præparatam ſibi poſsit peruenire coronam. Qui illicò iuſsi obtemperantes ambulauerunt, ſed eum minimè percutientes reuerſi ſunt dicentes. In cellam eius minimè ingredi poſſumus, quia nõ dormit, ſed in terra proſtratus iacet, & orat. Inſuper tanto thymiamatis ſuauiſsimo odore cella ipſa redolet, vt nitor tantæ fragrantiæ incenſi, quod ab eo oblatum eſt Domino, nos illuc intrare penitus nõ ſinat. Quibus denuo pręceperunt dicentes. Ite & percutite eum, quia iuſsio Domini eſt adimplenda. Qui cũ iuiſſent, nec intrare potuiſsent, reuertentes iterum dixerunt. Oratio eius nos omnino prohibet ingredi. Quibus illi dixerunt. Vacat oratio, quando venit vocatio. Sed ite, & implete præceptum Domini, quod ſemel datum eſt, nequaquam tranſcendi poteſt. At vbi tertiò iuerunt, permittẽte Deo ingreſſi ſunt. Tam fortis ſcilicèt manu crudeli eum percuſſerũt, vt vocem, quam emiſit cum dolore graui, ſimulq; gemitu, is, qui in Eccleſia ſtabat religioſus, clarè audiret. 2 Facto verò diluculo ad Sãctum Epiſcopum acceſsit, & cuncta, quæ viderat, queq; etiam audiuerat, & intimauit. Cui ille ait. Scio fili mi, ſcio, & mihi nullo modo latẽt. Cumq; hoc dixiſset, & imminenti ægritudine artubus iam fatiſcentibus ſe totum diſsolui repentè ſenſiſset, ad Baſilicam ſanctiſsimæ Virginis Eulaliæ ſe deferri præcepit, ſua ibidẽ imprimis multis lacrymarum ſatiſ-

ſatisfactionibus defleuit delicta. Deinde multis captiuis,& egenis multam largitus eſt ſtipem; ad vltimum redditis chirographis cunctorum debita relaxauit,ſed cum omnibus reddidiſſet,cautio cuiuſdam viduę remãſerat, quæ necdum fuerat reddita,quam ille ſpectaret,vt ei redderet,ſed quemadmodum muliercula præ turbæ dẽſitate, qua circumſeptus erat, vt accederet, non habebat; quæ per ſingulos dies veniret,& locum minimè reperiret,& nimium mœſtificata mente anxiaret,nihil agens mœrore afflicta ad ſuum hoſpitium remearet, & quadam nocte Sanctiſsimi Cyprianus, & Laurentius Martyres in viſu adſtiterunt dicẽtes. Noſti,quare locum non inuenis? At illa reſpõdit: Neſcio. At illi inquiunt. Quare per reliquas Baſilicas fratrum noſtrorum cæterorum Martyrum frequenter cõcurris,ad nos venire cõtemnis. Quæ ſtatim ſurgens ad eorum Baſylicas concurrit, orationem cum lacrymis fudit, pro negligẽtia retroacti tẽporis veniam implorauit. Atq; inde ad Baſilicam Sanctæ Eulaliæ redijt mira celeritate, locum reperit, chirographum ſuum abſq; difficultate recepit. Deo & Sanctis eius immenſas retulit grates,pro quo non ſolùm locum paratum inuenire meruit ingrediendi; verùm etiam ita Sanctis Dei diſponentibus geſtum eſt,vt quando ingreſſa eſt, ſanctus Epiſcopus cautionem ipſam manu propria tenens præſtolaretur,cui reformare debe-

ret,atq; ita factum est, vt illo benigne reddente, atq; illa cum gaudio, quę diu desiderauerat recipiente, paulopost vir Sanctus præcedentibus Sãctorum cœtibus, expectantibusq; Angelicis choris ad ætherea regna tripudiando migraret, 3 cœlestibusq; phalangibus consertus cum exultatione perpetua perpetim conglobari in sydereis mãsionibus Iesu Domino percipiente meruit. Corpusculum verò eius iuxta corpus sanctissimi prædecessoris sui, 4 vno eodemq; sarcophago traditum veluti in vno lectulo honorifice est tumulatum.

AD CAP. VIII. NOTÆ.

1 ECclesiam Sanctæ Mariæ, quæ Sancta Hierusalem nunc vsq; vocatur. *Hæc fuit Ecclesia Metropolitana Emeritæ Matrixq; totius Prouinciæ Lusitaniæ. Cum verò Paulus asserit vsq; ad eius tempus Sãctam Mariam Hierusalem vocari, innuit hunc titulum ex vetustissimo tempore habuisse, scilicèt ex eo quòd D. Iacobus in hac Vrbe fuit, aut D. Petrus, seu aliquis discipulorum eorum, qui Ecclesias Episcopales, quas primas in Hispania condiderunt, titulo, atq; aduocatione Sanctæ Mariæ*

riæ vocauerunt, ita asserit Flauuius Dexter in Chron. ann. 38. Prima totius orbis ædes erecta Beatæ Virgini Cæsaraugustana fuit, pòst Præsules Tarraconēsis, Hispalensis, Toletanus, & alij sacras ædes, vel oratoria Virgini dedicant. *Inditum autem his Ecclesijs fuit hoc nomen Hierusalem: quia quando Ecclesia Cæsaraugustana condita fuit degebat Beatissima Virgo Maria Domina nostra, eratq; in Hierusalem, & Hispani, vt significarent, quænam Domina hæc erat, dicere solebant Sancta Maria de Hierusalem, & ita vocauerunt Ecclesiam Emeritæ, Hispalis, & Toleti, ita sentit S. Maximus in hymno ad sacrum Templum Cæsaraugustanum, est in fine Chronoci Dextri in illis verbis.*

Hinc & vocare singulas
Episcopales Ecclesias
Hierusalem, & ab hac domo est
Factum vocandi initium.

Ecclesia autem Emeritensis Hierusalem fuisse vocatam constat ex Concilio Emeritæ celebrato

anno Dimini 666. ſub Receſuinto Gothorum Rege, quod eſt in collectione Conciliorum Hiſpaniæ à Garcia de Loaiſa facta.

2 Vocem, quam emiſit cum dolore graui, ſimulq; & gemitu, is, qui in Eccleſia ſtabat religioſus clare audiuit. *Domus enim Epiſcopalis contigua, aut Eccleſiæ Cathredali proxima erat, itaq; vox & gemitus, quem S. Epiſcopus Felix dedit, in illa auditus fuit.*

3 Ad ætherea regna tripudiando migraret. *Succeſsit hoc anno Domini 570. quia eo anno in Chronicō Dextri ponitur electio S. Mauſonæ ſucceſſoris S. Fidelis: nam & ſi ibi dicatur* S. Mauſona ſuccedit in Emeritenſi ſede Paulo; *fuit error copiatoris, aut æquiuocatio: nam Fidelis ſucceſsit Paulo, & Fideli Mauſona, vt ex noſtro Paulo patet.*

4 Iuxta corpus ſanctiſsimi prædeceſſoris ſui. *Qui fuit Paulus auunculus eius, & ſepultus in Eccleſia S. Eulaliæ, vt dicetur cap. finali.*

CAP.

CAP. IX.

Mausona, natione Gothus, nutritus in Ecclesia Sanctæ Eulaliæ succedit Fideli in Episcopatu, Xenodochium, & Monasteria ædificauit.

HVic præfato almo viro ad supernam patriam transmigranti prouidentia diuinæ potestatis subrogatur non impar omnium virtutum gloriæ vir Orthodoxus, cui nomen erat Masona,[1] scilicèt beatus beato,& sanctus sancto, prius pio,bonus bono, atq; cunctis charismatibus refulgens rutilanti immensis virtutibus Sacerdotali Ordine succedit Fideli. Prędecessore nimium astringeris ciuibus conserto in cœlis? successoris magni dulcedo,eiusq; insigne meritum cunctorũ Ciuium mœrorem leniuit in terris, vt omnibus pro obitu sancti Pontificis mœror non solùm discuteretur, verùm etiam instar priscorum Patrum Eliæ quōdam Elisæi duplicata Paracleti Spiritus gratia palam cunctis cernentibus sancti Fidelis in Masona Sancto, & Episcopo requieuisse videretur,vt plebem subleuato pastore non vsq;quaq; tæderet afflictam langore, sed geminato gaudio congauderet diuina tribuente miseratione,dum & illum

illum pro sui salute præmisit ad cœlos, & istum eximiæ virtutis virum suscepit gratulanter in terris. Deniq; sanctus Masona Antistes nobili ortus in hoc sæculo origine, sed vitæ meritis extitit multo nobilior, genere quidē Gothus, sed mente prōtissima erga Dominum perquā deuotus, atq; viriliter Altissimi virtute præcinctus, moribus sanctis ornatus, habituq; magni decoris pulcrificatus, charitatis, humilitatisve ab ineunte ætate refulgenti stola circumamictus, baltheo Fidei fortiter circuncinctus, prudentia, scilicet, & iustitia insigniter circumseptus, dilectione summi Dei, & proximi mirifice decoratus, dilectus namq; Deo, & hominibus erat, & gloria mirabilis, amator fratrum, multùm orans pro populo, cuius nomē multis corruscandi miraculis per omnem terram pertransiuit. Huius itaq; temporibus morborum pestem, inediç inopiam ab vrbe Emeritensi, vel omni Lusitania eius precibus Dominus procul abegit, meritisq; sacrosanctç Eulaliæ Virginis, longius pepulit, tantamq; salutem, & omnium copiā deliciarum cuncto populo impertire dignatus est, vt nullus vnquam quamuis inops habere videretur, aut qualibet necessitate fatigaretur, sed quemadmodum opulenti, ita & inopes omnibus bonis abundarent, & quodammodo instar cœlistis gaudij vniuersus populus in terris tanti Pontificis merito congauderet. Omnibus inerat gaudium, cunctisq;

ctiſq; aderat pax, nulli aberat fœlicitas, in omniũ cordibus florebat perfecta charitas in omnium ſenſibus pollebat trãquilla iucunditas, ita nimirũ, vt deuicto antiquiſsimo hoſte, ac ſuperato veternoſo dracone nemo mœrore conſternatus, nemo anguſtia afflictus, nemo quolibet terrore perculſus, vel quolibet zelo, aut inuidia tactus, callidi anguis virulentis ſtimulis quateretur, ſed perfecta charitate repleti, cuncti Deo admittente pij patris gratia iucundãtes, imperterriti, ſine metu, vel formidine omnium in Dei laudibus perſiſtebat cõſtanter. Non ſolum autem in omnium fidelium arcanis eius flagrabat immenſa charitas, ſed etiam omnium Iudæorum, vel Gentilium mentes miro dulcedinis ſuæ affectu ad Chriſti gratiã pertrahebat. Quanta igitur, qualiſq; fuerit inertia linguæ noſtræ ad ſingula explicare nõ valet, ſed quamuis maxima taceamus, extrema ſaltem è maximis memoramus. Deniq; ſuprà dictus vir, priùſquam ordinaretur Epiſcopus, in Baſilica ſanctiſsimæ Virginis Eulaliæ fertur, cum ſumma diligentia aduenıſſe, & ibidem multis annis Deo irreprehenſibiliter deſeruiſſe. [2] Poſtquam verò inſpirante Deo in omnium ore, oculis, & animo reſidens, ſublatus inde conſtitutus eſt Pontifex. Statim in exordio Pontificatus ſui Monaſteria multa fundauit, prædijs magnis locupletauit, Baſilicas plures miro opere conſtruxit, & multas ibidem Deo animas con-

conſecrauit. Deinde Xenodophium fabricauit, magniſq; patrimonijs ditauit, conſtitutiſq; miniſtris, vel medicis peregrinorum, & ægrotantium vſibus deſeruire præcepit, taleq; præceptum dedit, vt cunctæ vrbis ambitum medici indeſinenter percurrẽtes quemcumq; ſeruum, ſeu liberum, Chriſtianum, ſeu Iudæum reperiſſent ægrum vlnis ſuis geſtantes ad Xenodochium deferrent, 3 ſtraminibus quoq; lectulis itidem præparatis eũdem infirmum ibidem ſuperponentes, cibos delicatos, & nitidos eouſq; præparãtes, quouſq; cum Deo ęgroto ipſi ſalutem priſtinam reformarent, & quãlibet à prædijs Xenodochio collatis multis deliciarum copiam pararent, adhuc viro Sancto parum eſſe videbatur. Sed his omnibus beneficijs adjiciens maiora, pręcepit medicis, & ſagaci ſolicitudine gererent curam, vt ex omnibus eximijs ab vniuerſis ſanctuarijs, ex omni patrimonio Eccleſiæ in atrium illatis medietatem acciperent, & eiſdem infirmis deferrent. Si quis verò de ciuibus vrbis, aut ruſticis de ruralibus ad atrium ob neceſsitatem acceſsiſſet, & liquorem vini, olei, vel mellis à diſpenſantibus popoſciſſet, & vas paruulũ, in quo portaret, exhibuiſſet, vir Sãctus, vt erat ſemper obtutu gratus, iucundi vultus, mox ipſum vaſculum confringi, & vt maius deferret, pręcipiebat. 4 In eleemoſynis verò pauperum quãtum largus extiterit, ſoli Deo reſeruatum eſt noſſe.

Ta-

Tamen & hoc ipso quandam particulam enarremus. Tanta illi cura erat pro omnium ærumnis miserorum, vt ad Basilicam sanctissimæ Eulaliæ Diacono viro venerabili Redento nomine, qui præerat, duo mille solidos dederit, è quibus mox, vt aliquis vrgẽte necessitate aduenirat, facta cautione quantos vellet absq; aliqua mora, vel difficultate acciperet, [5] suisq; angustijs consuleret. Neq; hoc silendum reor, quam largifluus in muneribus extiterit, quippeq; alienę rei abstinentior, suæ largior, nec accipiẽdi, sed dãdi magnanimitate præpollebat, auidior dandæ rei, quàm appetendæ, potiorem dandi, quàm accipiendi dedicarat fortunam. Multa largiebatur, nihilq; auferebat, sed vltro cuncta concedebat, donabat multa, largiebatur plurima, ditabat munificentia vniuersos beneficijs, & munificentia magnus habebatur. Omnes ab illo augebantur donis, ac diuitijs, locupletabantur, & non tantùm fratribus, & amicis, quàm & seruis ipsis Ecclesiæ se muneribus largum vltra, quã credi potest, prębebat. Ita nimirum tẽporibus suis ditati sunt, vt in die sanctissimæ Paschę cum ad Ecclesiam procederet, pueri plurimi chlamydes holosericas induentes coram eo, quasi coram Rege incederent, [6] & quod ijs temporibus nullus poterat, nullusq; præsumebat, huiusmodi indumentis amicti ante eum debitum deferentes obsequium pergerent. Sed meritò ab omnipotẽti

Domino fuit tanti muneris donum collatum, & eius cor in tanta opulentia, & gloria transitoriæ prosperatis gaudio, nunquam fuit turgidum, neq; inflatum. Nimirum humilis animus eius supra solidam petram fundatus immaculabili conscientia, cogitatione syncera, calliditatisq; ignara, in prosperis humilis, in aduersis existebat fortissimus, neq; prosperitate erigebatur, neq; aduersitate frangebatur, nullo detrimento, vel augmento cõstantia eius mutabatur. Cõstans erat in cunctis, & aduersus omnia promptissimè paratus, patiens nimium, & robore firmissimus, in cunctis aduersis constans, in omnibus angustijs imperterritus perseuerabat; vultum nec gaudio, nec mœrore commutabat, vnus vultus semper eius, vna hilaritate decoratus cunctis occurrebat, semper idem vnus vultus, nec vnquam rerum varietate mutabatur. Non illum cunctis inimica elatio virtutibus extulit, sed in omnibus humilitatem synceram syncero conseruauit sacratissimo cordis afectu: cùmq; talibus diuino fauore virtutibus polleret, famam bonorum opinione concrescente adsparsit, & opera luminis à vero Lumine condonata multis in regionibus corruscauit.

AD

AD CAP. IX. NOTAE.

1 MAsona. *Aliàs*, Mausona, *vtroq; nomine apud auctores inuenitur. Succedit in Ecclesia Emeritensi S. Fideli, vt in Textu anno Domini 570. Dexter enim dixit successisse Paulo, sed errauit ipse, vel eius translator.*

2 Priusquā ordinaretur Episcopus in Basilicā sanctissimæ Eulaliæ fertur cū summa diligentia aduixisse, & ibidem multis annis Deo irreprehensibiliter deseruisse. *Ex quibus verbis Mausonam Emeritæ oriundum fuisse tenēdum est, quoniam alitus fuit in Ecclesia sanctæ Eulaliæ, ibiq; diu ministrauit, & in hac vrbe quandam habuit sororem, quæ Ducis Claudij fuit mater. Electus est anno quarto Imperatoris Iustini. secūdū Abbatē Biclarensem in Chron. pag. 2. tom. 4. Hispaniæ illustratæ, & correspondet anno Domini 571. sed Dexter, & Vassæus dicunt fuisse anno 570.*

3 Vlnis suis gestantes ad Xenodochiū deferrent. *Melius sic, quàm in M.S. vbi,* venis suis gestātes, &c. *Nā nō venis, sed vlnis gestātur ægri.*

4 Mox ipſum vaſculum confringi, & vt maius deferret præcipiebat. *In M. S. dicitur, maiorem deferre, & emendamus, quia vaſculum eſt neutri generis.*

5 Quantos vellet abſq; aliqua mora, vel difficultate acciperet. *Melius dices*, quod vellet, &c.

6 Pueri plurimi chlamydes holoſericas induentes coram eo, quaſi coram Rege incederent. *Maximum beneficium collatum à Domino Maſonæ, quia nullus præter Regem vti poterat veſtibus holoſericis; & tamen eis non inflauit cor ſuum.*

CAP. X.

Liuuigildus Rex Viſegothorum Arrianus ſtudet auertere Maſonam Epiſcopum Emeritenſem à Fide Catholica.

VNde accidit, vt hęc opinio ſęuiſsimi, atq; crudeliſsimi Viſegotorum Liuuigildi Regis penetraret auditum, & ſummæ inuidiæ Draco immaniſsimus bonis operibus ſemper æmulus, ſtimulis acrioribus irritatus eiuſdem Prin cipis

cipis animum vna vipereum ſaciaret,[1] & poculum venenatum eius in viſcera transfunderet, cuius poculi hauſtu protinùs conſilio armatus diabolico ſtimulante inuidia ſuprà dicto ſanctiſsimo viro legatis intercurrentibus, iterum, iterũq; mãdauit, vt relicta Fide Catholica ad Arrianam hæreſim cum vniuerſitate plebis commiſſæ diuerteret. Cùmq; vir Deo dicatus conſtantiſsimè reſpõderet, bis, terq; regredientibus nuntijs Regi mandaret, nunquam ſe veram Fidem relinquere, quam ſemel agnouiſſet, ipſi inſuper Arriano Regi exprobrauit, vt debuit, eiuſq; ad ſe perfidiam dignis more pactionibus repulit. Ad ſe itaq; reuerſis nũtijs, cœpit ſuprà dictus Rex diuerſis ſuaſionibus, & præmiorum promiſsionibus eius animum allicere, ſi forſan per quamcumq; occaſionem poſſet ad ſuæ ſuperſtitionis voluntatem incuruare. Ille verò ſuaſiones eius callidas contempſit, donec & præmia veluti purgamẽta reſpuit, Fidem Catholicam viriliter prorſus vindicauit; neq; tamen cõtra perfidiam tacere voluit, ne tacendo forſitan conſentire videretur, ſed totis niſibus eius veſaniæ repugnans clangore veritatis perſonauit. Cùmq; ſe ille cerneret caſſo labore deficere, raptus in furorem cœpit eum multis pulſare terroribus, opinans minis poſſe concutere quem blandimentis ſuperare nequiuiſſet. Sed vir Sanctus[2] nec terroribus frangitur, nec blandimentis ſuadetur, ſed

forti

forti congreſsione aduerſus atrociſsimum tyrānum dimicans pro defenſione iuſtitiæ perſiſtebat inuictus.

AD CAP. X. NOTÆ.

1 EIuſdem Principis animum vnus viſpereum ſatiaret. *Ita in M.S. ſed in melius emendatur, vt in Textu.*

2 Sed vir Sanctus. *Sic noſtrum Archiepiſcopum Mauſonam vocat S. Iſidorus in Epiſtola, quam ad eundem cum quodam religioſo nomine Nicenio ſcripſit, quæ operibus ſuis inſerta eſt, in qua alteri reſpondet ab eo acceptæ. Tractat eum cum maiori reſpectu, atq; reuerētia, quàm Sanctos Heladium, Eugeniumq; ſuis literis tractauit, ſiquidem initio, tituloq; literarum ad eum, ita inquit:* Domino Sancto, meritiſq; beato Maſonæ Epiſcopo, Iſidorus. Veniente ad nos famulo veſtro viro religioſo Nicenio literas honorificentiæ veſtræ nobis detulit.

CAP.

CAP. XI.

Sunna Pseudoepiscopus Emeritensis Arrianus disputatione publica victus à Masona.

COmperto dehinc crudelissimus tyrannus, quòd nec minis, nec muneribus viri Dei animũ à rectaFide ad sui perfidiã apostatare posset, vt erat totus vas iræ, fomesq; vitiorũ, ac fructrix damnationis, cuius obsidebat pectus truculentior hæresis & captiuum in sua ditione tenebat callidissimus serpens, amara pro dulcibus, pro lenibus aspera obtulit ciuibus, pro salute medicamẽta mortifera, quemdam scilicèt virum pestiferum Arrianæ hæresis prauitatem per omnia vindicantem, cui nomen erat Sunna [1] pro seditiosis simultatibus excitãdis, & pro cõturbatione sancti viri, vel totius populi in eadem Ciuitate Episcopũ Arrianæ partis instituit: virum deniq; praui dogmatis fautorem, hominem funestum, vultu teterrimum, cuius erat frons torua, truces oculi, aspectus odibilis, motus horrendus, eratq; mente sinister, moribus prauis, lingua mendax, verbis obscœnus, forinsecus turgidus, intrinsecùs vacuus, extrorsùs elatus, introrsùs inanis, foris inflatus, interiùs cunctis virtutibus euacuatus, vtrobiq; deformis

de

de bonis indignus, de pesſimis opulentus, delictis obnoxius, perpetuæ mortis nimis vltroneus. Hic iam ſuprà dictus perfidiæ auctor cum in vrbem Emeritenſem adueniens quaſdam Baſilicas cum omnibus earum priuilegijs præcipiēte Rege ſublatas auſu temerario de poteſtate proprij Epiſcopi ſibimet aggrediens vſurparet, ac dictus prædo funeſtis arctioribus vinculis, ſatiatuſq; de eius lethalibus poculis, cœpit cōtra Dei famulum rabidos oblatrare ſermones, & verbis ſtupentibus comminantes ſpurciſsimas euomere voces. Sed ſeruum Dei probatiſsimum, nec cōminatio furciferi fregit, nec turbulenta ira peſtiferi molliuit, nec tempeſtas inſanientis perditi deflexit, ſed inſtar fortiſsimi muri immobilis contra omnes procellas pro ſanctæ Fidei defenſione permāſit. Cūq; toto adnixu Dei famulum, vel omnes Fideles iam dictus infidelis exquiſitis martyrijs exturbare vellet, nec poſſet, fretus fauore Regio Baſilicam ſanctiſsimæ Virginis Eulaliæ paſsim aggredi, nitebatur, vt eam ſublatam de proprij Epiſcopi poteſtate Arrianæ hæreſi dedicaret; cui cùm Sanctus Maſona Epiſcopus, vel cum eo vniuerſus populus acriter obſiſteret, ac vehementer oppugnaret, ſuprà dictus Pſeudoepiſcopus Sunna antè facto Principi multa in accuſationem ſancti viri ſcripſit, eiq; ſuggeſsit, vt ipſa ſacra Baſilica, quā adire inhiauerat, ac Catholicorū poteſtate ſublata ditioni

ſuæ

suæ Regio Imperio traderetur. Ad hæc ille talem fertur promulgasse sententiam, vt residentibus in atrio Ecclesiæ iudicibus vtriusq; Episcopi ab eisdem assumpti adessent, ipsiq; corā posita vtriusq; partis defensione conflictu disputationis altercarentur,[2] alternisq; aduersum se congressionibus dimicantes de Sacrarū Scripturarū voluminibus, quæq; ab eis essent dicta, prolatis testimonijs adstruerent, vel roborarent, & cuius pars triumphum brabij obtineret, ipse nihilominus Ecclesiam sanctæ Eulaliȩ sibimet vindicaret. At vbi eiusmodi decretum crebescente rumore in auribus almi viri Masonæ personuit, illico Basilicam sanctæ Eulaliȩ virginis præproperus petijt, tribusq; diebus, totidemq; noctibus parsimonijs, & fletibus perseuerans ante altare, sub quo venerabile corpusculum sacræ martyris situm est, pauimento prostratus incubuit, tertioq; demum die ad atrium quod est fundamentum intra mœnia ipsius Vrbis repedauit, tantaq; cum alacritate, & mentis constantia regressus est, vt nulli fidelium ambiguum videretur illū in eius pergere adiutorium, qui dixit. Nolite præcogitare, quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini, non enim vos estis loquētes, sed Spiritussanctus. Cūq; peruenisset in Vrbē, ingressusq; atrium consedisset, vultus sui iucunditate cunctorum fidelium mœstitiam abstulit, ac, ne in aliquo de eius victoria hæsitarent, admonuit,

ipſumque nefandum Arrianum Epiſcopum, ſimulque Iudices diutiſsimum præſtolauit. Tandem Arrianus Epiſcopus vnà cum iudicibus ſeptus caternis populi, turgiduſque faſtu ſuperbiæ ingreſſus eſt. Tum deinde reſidentibus Epiſcopis reſederunt & iudices, illi maximi qui erant fautores Arrianę partis, & impiſsimi Regis. Cumque reſediſſent ſanctus Maſſona Epiſcopus, vt erat ſummæ grauitatis, ſummæque prudentię, diù multùmque oculis cælo intentis ſilentium tenuit. Cùmque ille ſileret, hæreticorum Sunna Epiſcopus prius loqui exorſus eſt, cępitque nefandi oris ſtupentia, aſpera, ſcabra, & obſcœna ſummo cũ fragore producere verba. Cui cum vir Dei patienter, leniter, ſuauiterque reſponderet, atque ille cum procatioribus verbis, vtpote per os draconis inſibilaret, cœperunt vtrique inter ſe verborum ingens habere certamẽ, ſed nulla ratione potuit moles carnea ſapientiæ Dei, ſanctoq; Spiritui, qui per os ſeruuli ſui Maſſonæ Epiſcopi loquebatur, reſiſtere, quin multa omni ratione conuictus, ſuperatuſque conticuit, ac pudore nimio coopertus erubuit; & non tantum ille, quantum mediatores peruerſi, qui eius partibus importunè nitebantur ferre adminiculum, non ſolùm confuſi erubuerunt, verùm etiam audiẽtes inæſtimabilis doctrinæ loquelam melliſluo ſermone de eius ore procedẽtem mente conſternati, atque in obſtuporẽ nimum conuerſi cum

multa admiratione, quem expugnare pauloante venerant, collaudabant. Nam tantam gratiam in eius labijs eo die Dominus conferre dignatus est, vt nunquam eum quisquam viderit prius tam claro eloquio facundum, & licèt semper docuerat ore facundo, tunc tamen præ cæteris diebus eloquentior extitit: tunc deniq; viderunt recti; & læ-tati sunt, & omnis iniquitas obturauit os suum, quoniam Dominus abstrusit os loquẽtium iniqua. Cuncti ergo fideles vehementer admirati sunt, quia quamuis virum hunc antea nossent eloquentissimum, nunquam tamen eum tam Scholastico sermone, tam nitido, tamq; dulcissimo eloquio reminiscebantur loquutum fuisse. Tunc protinùs omnes Orthodoxi, omnes Catholici prostratis, superatisq; hostibus, in laudibus acclamauerunt dicentes. Quis similis tui in dijs Domine? Quis similis tibi? & non est secundum opera tua? Deinde ad Basilicam gloriosæ Virginis Eulaliæ vnà cũ victore Antistite Masona vnanimiter perrexerũt. Inde nimirum laudibus exultantes venerunt, immensisq; fragoribus iubilantes sacratissimum eius Templum introierũt, & infinitas grates omnipotenti Deo retulere, qui sanctæ suæ Virginis precibus in sublime erexerat famulos, & ad nihilum suos redegerat inimicos.

AD CAP. XI. NOTÆ.

1 SVnna. *Sic legendum eſt, non* Sumnia, *vt voluit Maximus in Chronic. ann.* 581.

2 Ipſiſq; coram poſitis, vtriuſq; partis defenſione conflictu diſputationis altercarētur. *Sic in M.S. ſed meliùs dices,* ipſiq; coram poſita vtriuſq; partis defenſione conflictu diſputationis altercarentur. *Quia Leouigildus Rex præceperat, vt Maſona cum Sunna contenderet de retinenda poſſeſsione Eccleſiæ ſanctæ Eulaliæ, & vter in diſputatione foret, poſsideret Eccleſiam. Hanc verò contentionem iuſsit coram iudicibus fieri, defenſione vtriùſq; partis poſita, & ideo legendum eſt.* Ipſiq; ſcilicèt Maſona & Sunna altercarentur conflictu diſputationis, *poſita defenſione vtriùſq; partis, coram ſcilicèt iudicibus.*

3 Moles carnea. *Id eſt, Sunna, quia fuit pinguiſsimus, aut valdè procerus, & propter eximiam pinguedinem, aut proceritatem lento tardoq; greſſu vtebatur, & hac de cauſa vocat eum, moles carnea. Cùm enim Latini rem difſici-*

ficilem ostendere conantur, aut proceram, hoc nomine Moles *significant. Virgilius lib.* 1.

Tãtæ molis erat Romanam cõdere gentẽ.

Valer. Maximus lib. 3. c. 6. cum significare voluit maximam difficultatẽ, quam Thrasybulus suscipiebat, cum vellet Athenis expellere tyrãnos, inquit. Paruaq; manu maximæ rei molẽ aggrederetur. *Cum verò Virgilius Polyphemũ esse procerum, tardoq; vti gressu significare voluit, his verbis expressit lib. 3.*

Vix ea fatus erat, summo cũ monte videmũs
Ipsum iter pecudes vasta se mole mouentem
Pastorem Polyphemum.

CAPVT XII.

Masona Toletum à Rege vocatus recusans dare tunicam sanctæ Eulaliæ in exilium missus equum ferocem domat.

IGitur suprà dictus hæreticus Sunna quamlibet omni ratione, & veritate fuerat cõuictus, pertinaciter in fidẽ pristinam perdurauit, nec poterat liberis gressibus ad portũ properare salutis,

cuius

cuius cor lapideum instar Pharaonis antiqui permittente Deo indurauerat. Hostis post hæc superatum se in omnibus videns cœpit magis magisq; mente effera aduersum famulum Dei criminationes, & obiecta commenta callidis machinare dispositionibus, atq; contra militem Christi omni genere septus telorum seipsum potiùs expugnaturus aduehere, ipsumq; beatissimum virum Masonam Episcopum in auribus Principis Liuuigildi Arriani clam multis criminibus accussare. Nihil sane calliditas aduersantis præualuit. Nihil viro Dei calamitosa nequitia nocuit. Quem gratia Redemptoris spiritualibus armis armauit, tandem spiritus nequam compulit sæpe nominatum Arrianum Regem, vt sanctum virũ à propria sede remoueret, suisq; obtutibus præsentari iuberet, ocyùsq; ministri compares criminis eius preceptionis dictum implentes, atq; ad Emeritensem vrbem [1] venientes virum beatum sub omni celeritate ad vrbem Toletanam, in qua Rex erat properare compellunt. Hinc cum subitò sanctissimus vir Masona Episcopus è gremio raptus Ecclesiæ sanctæ tolleretur, & indemnis quasi reus ad exilium duceretur, omnium vox Ciuium Emeritensium eiulato magno cum intolerabilibus lacrymis perstrepebat tanti Pastoris abrogari sibi remedia immensis gemitibus, immensisq; eiulatibus proclamabant. His minirum vocibus cla-

mi-

mitantes. Cur ouile tuum pie deſeris Paſtor? Cur gregem periturum relinquis? Ne vi luporum nos in faucibus mittas. Neue oues tuæ hactenus nectareis floribus refectæ, mortalibus dentibus mordacibus lanientur lupis, minùs procurante Pontifice. Tunc ille motus tot fletibus, vt ſemper in Domino pietate viſceribus influebat, lacrymaſſe perhibetur. Deinde plurimis eos alloquens verbis mira ſubtilitate conſolari dignatus eſt. Poſt hæc vale faciens cunctis commitante ſuffragio diuino profectus eſt tranquilla mente, conſtanti animo, hilari vultu, vt ſemper ſolitus erat. Cùmq; peruenisset ad vrbem Toletanam, & atrociſsimi tyranni conſpectibus adſtitiſſet, plurimis eum Rex laceſſens conuitijs, multiſq; terroribus pulſans ad hæreſim Arrianam omni adniſu prauæ intentionis pertrahere cupiebat. Sed cum vir Dei omnes ſibi illatas contumelias libenter toleraret, cœpit tamen aduerſus ea, quæ rabidus canis oblatrabat, cum omni manſuetudine, incunctanter reſpondere, & omiſsis proprijs contumelijs pro iniurijs Catholicæ Fidei condolens ipſi tyranno audaciter reſiſtere; cuius conſtantia magis, magiſq; permotus inſaniſſimus Rex multò magis cœpit rabido ore rabidioribus aduerſus Dei famulum infremere latratibus. Deinde vt tunicam ſanctiſsimæ Virginis Eulaliæ præſentaret, quam in Baſilicam Arrianæ

pra-

prauitatis ibidem in Toleto habere deberet, cœpit minis, terroribusq; cõpellere. Ad hæc vir Dei respõdit. Cõpertum tibi sit, quia cor meum sordibus Arrianæ superstitionis nunquam maculabo, tã peruersi dogmatis mentem meam nunquàm inquinabo; tunicam Dominæ meæ Eulaliæ sacrilegis hæreticorum manibus polluendam, vel etiã summis digitis contrectandam nunquam tradam, nec ante reperta quocumq; tempore posſideri poteſt. Hæc profanus tyrannus audiens in furorem insaniæ versus festinanter celeriter ad Emeritam vrbem misit, qui vbiq; sanctam tunicam solicitè requirerent, quam etiam in thesauro Ecclesiæ senioris, [2] quæ vocatur sancta Hierusalem, sagaciter scrutantes eovsq; perquirerent, quovsq; eam repertam ad eum deferrent. Qui cum venissent & vbiq; strenuè requisiſſent, minimè repererunt, ac sic vacui ad Regem suum redierunt: quod cum ei renuntiarent, acriùs infrendere cum dentium stridore cõtra virum Dei diabolus cœpit: cùmq; eius obtutibus sisteretur, ait ad eum. Aut dic vbi est, quod requiro; aut si non dixeris, cognosce te grauiùs afficiendum esse iniurijs, & post in regionem longinquam in exilium profecturum, vbi multis ærumnis affectus, omnibusq; necesſitatibus intolerabiliter cruciatus crudeli morte deficias. Ad hæc vir Dei tale fertur, exilium mihi minaris, dedisse responsum. Compertum tibi sit, quia minas

nas tuas non pertimesco. Exilium nullatenus paueſco. Et ideo obſecro te, vt ſi noſti regionem aliquam, vbi Deus non eſt, illic me exilio tradi iubeas. Cui ille ait. Et in quo loco Deus nō eſt Biotenate? & vir Dei reſpondit: ſi noſti, quòd in omni loco Deus eſt, cur mihi exilium minaris? Nam quocumque me direxeris, noui, quia nūquam pietas Dei me derelinquet. Sed & hoc certum habeo, quia quantum tu in me crudeliùs fueris debacchatus, tanto magis me miſericordia eius ſubſequetur, & conſolabitur clementia eius. Ob cuius conſtantiam maiori ſupplicio peſsimæ mentis ſuæ inſaniſsimus tyrannus interiùs afflictus, felle, & amaritudine nimia permotus ad eum ait. Aut præſenta mihi ipſam tunicam, quam frauduléter ſubripuiſti, aut ſi non præſentaueris, diuerſis ſupplicijs faciam diuaricari membra tua. Cui miles Dei ita imperterritus reſpondit. Iam dixi tibi ſemel, & iterum, quia minas tuas non formidabo. Sed quid valet, mens tua peruerſa amplius aduerſum excogitet. Ego tamen nec te pertimeſco, nec metu territus id, quod requiris, præſentabo. Sed hoc ſcito, quia tunicam ipſam igne combuſi, pulueres ex ea feci, & in liquorem aquæ permiſtos bibi. Et tactu manus ſuæ contrectans ſtomachum dicebat. Euidenter cognoſce, quia in pulueres redactam illam bibi, & ecce hìc intùs in ventre meo eſt, nunquam tibi illam reddam. Hoc autem ideo dicebat, quia

nullo ſciente ſibi eam in ſtomacho plicatam infra ſua indumenta linteis inuolutam præcinxerat, & ita eam Deo ſolo conſcio geſtabat, nam ſic cæcauit Deus oculos ipſius Regis, & omnium aſsiſtentium, & vt nullus intelligeret, quemadmodum vir Dei iſta proſequeretur. Dum hæc, & his ſimilia loquerentur, & eſſet multa cœli ſerenitas maieſtas diuina cœlitùs fragore magno repentè intonuit ita, vt tremebundus de trono ſuo Liuuigildus Rex in terram cum magno pauore procideret. Tunc vir Dei cum exultatione magna conſtanter ait. Si Regem, ecce Regem, quem timere oportet, non talis qualis tu eſt: tunc deinde ſpiritus nequam ex tẽplo noxialibus verbis os ſacrilegum tyranni conuitijs ſemper armatum reſerauit, & iſtam protinùs, impietatis ſuæ ſententiam oblatrauit. Maſſonam moribus noſtris ſemper contra nos infeſtum, & fidei noſtræ inimicum, religioniſque contrarium ocyus à conſpectibus noſtris ſubſtractum relegari iubemus. Cùmque huiuſcemodi inimicus impijſsimus Rex malè ſanam ſententiam contra inſontem tuliſſet, totius miniſtri compares criminis eum à conſpectibus eius abſtraxerunt, æquumque ferocem ei ad ſedendum præcipiente Rege parauerunt, qui eum ita præcipitaret, vt cadens fractis ceruicibus crudeliter interiret. Tantæ ſcilicet ferocitatis equus erat, vt nullus ſeſſor (pro eo, quòd iam multos
præ-

præcipites corruere fecerat) aſcendere præſumebat. Cùmque viro Dei, vt in eum aſcenderet, pararetur, Rex crudeliſsimus per feneſtram imminentem Palatij reſpiciens expectabat, vt ei vir ſanctus de equo caſurus ingens ſpectaculum præberet. Statimque in nomine Domini edito vexillo Crucis ſanctiſsimus Sacerdos adſcendit equnm ferocem, 4 quem ei Dominus velut agnum manſuetiſsimum reddidit, cœpit namq; cum omni manſuetudine, & cautela itineris ſui pergere viam, qui pauloante immenſo flatu, & fremitu inceſſanti totius corporis motu, quaſi deſpiciendo alium ferre recuſabat. Cùmq; hoc miraculum omnes cernerent, obſtupeſcentes valdè admirati ſunt: nam & ipſe Rex magna conuerſus eſt admiratione. Sed quid cæco prodeſſe poterat iubar ſplendiſsimum ſolis, cuius arcana omni opera offuſcauerat, ſæuiſſimus hoſtis.

AD CAP. XII. NOTÆ.

1 AD Emeritam Vrbem. *Aliàs ad Emeritenſem Vrbem. Ciuitas hæc ab Emeritis militibus Augusti fuit facta Colonia Romanorum, & ab ipſis nomen accipit, ita Dion Caſsius lib.* 53. *Hiſt. Româ.* Finito bello Augustus Emeritos milites exauthorauit, Vrbēq; eos in Luſitania Auguſtam Emeritã nomine

condere iussit. *Romani enim cum Turdulis, & alijs gentibus, qui ibi erant habitatores se miscuerunt, & in suos ritus transformarunt, sic colligitur ex verbis Estrabonis lib. 3. de situ Orbis.* Turditani præsertim qui circa Bætim loca tenent in Romanos penitus ritus trans formati sunt, nec propriæ memoriam linguæ seruãt ampliùs, plurimique Latini facti etiam secum accolas accepere Romanos, itaq; parũ abest, quin vniuersi Romani sint, & nunc habitatæ vrbes in Celticis Gallia Pax Augusta, & alia in Turdulis Emerita Augusta, & in Celtiberis Cæsarea Augusta, &c. *Et propter hæc concessum fuit Pacensibus, & Emeritensibus ius Italicum, de quo Paulus I.C. in l. in Lusitania, ff. de censibus*: In Lusitania, *inquit*, Pacenses, & Emeritenses iuris Italici sunt, idem ius Valentini, & Lacetuni habent. Barcinonenses quoque ibidem immunes sunt. *Incœpit enim Paulus I. C. à Pace, non quod Vrbs excellentior fuisset Emeritæ, & alijs, sed quia ad Occidentem magis erat longinqua Romæ, vbi ipse agebat, & sic ex Pace versus Orientem ordine naturali venit ad Emeritam,*
& inde

& inde ad Valentiam, Lacetaniam, & deniq; ad Barcinonam, quæ erat Romæ magis propinqua.

2 Ecclesiæ senioris. *Senior Ecclesia vocabatur, quia erat matrix, & Cathredalis, seu vetustior, quàm Ecclesia sanctæ Eulaliæ, quæ etiam quasi Cathedralis multis religiosis administrabatur, & sic sedes appellatur à M. Maximo apud Dextrum anno 605. seu senior vocabatur ad differẽtiã nouæ ampliationis, de qua meminit ipse Paulus sup. c. 8. & sic prima & vetustior Ecclesia vocata Hierusalem, appellabatur senior: & etiam dicebatur Secretarium, quia ibi Capitula & Concilia secreto agebantur, sicut de Ecclesia Toleti dixit Flauius Dexter ann. Chron.* 590. In Templo maximo sanctæ Mariæ in Secretario dicto Hierusalem. Et hoc appellabatur nomine ad differentiam nouæ ampliationis factæ à sancto Eugenio ipsius Ecclesiæ Episcopo, vt ex auctoritate, & *verbis Iuliani traditis per D. Thomam Tamaio de Vargas in eleganti libro super veritatem ipsius Dexter. nou.* 16. *colligitur.*

3 Biotenate, *Hispane potest dici*, hõbre

ton-

tonto, y sin sentido, *D. Isidor. AEtymol. lib. 10. litè. B. latè D. Ioann. Solorzano de iure Indiarum lib. 2. c. 8. n. 34.*

4 Statim in nomine Domini edito vexillo Crucis sanctissimus Sacerdos adscēdit equū ferocem. *Id est, facto signo Crucis adscendit equum ferocem.*

CAP. XIII.

Nepopis Pseudoepiscopus Arrianus Emeritæ substituitur: Masona verò in Monasterio triennum exul miraculis claret.

IGitur Sanctus vir Antistes Masona tribus tantum de suis secum commitantibus pueris ad locum destinatum peruenit, cum quibus cùm mox homines punituri, qui à Rege missi fuerant exilio, in Monasterium relegati sunt,[1] cuius relegatio fuit summa sublimitas contumeliæ, perspicua sanctitas, peregrinatio immensa felicitas. Post hæc subrogatus ei Pseudosacerdos Nepopis nomine,[2] ac in loco viri Dei in Emeritēsi vrbe substituitur: homo nāq; profanus, seruus sanè diaboli, Angelus Satanæ, prænuntius Antichristi, & hic alie-

alienæ Ciuitatis erat Episcopus. Sed quantum vir Dei crescebat virtutibus copiosis, è cōtra ille fœdabatur actibus nefandis. Cùm iā per annos tres, & eo amplius beatam vitam beatus degeret vir Masona, multisq; inibi præpolleret virtutibus, omnia quæ ibidē suis vsibus, suorumq; famulorū habere poterat necessaria pauperibus erogauit, cūq; penè nihil remāsisset, quod largiri deberet, quędā vidua paupercula, quæ multis obsita ærumnis, ad eum stipē flagitans aduenit. Cùm verò vir Dei, qui iā omnia in opere simili cōsumpserat, magnoperè inquireret, quid ei impertiret, & quia minimè reperiret, cœpit pueros, qui cū eo aderāt, deposcere, vt si aliquis eorū aliquid haberet, ei fideliter præsentaret, quod iā dictæ mulierculæ tribueret, equibus vnus nomine Sagatus, qui præerat cæteris respōdit dicens. Habeo quidē vnū solidū, sed si dedero, nihil omnino vnde nobis, vel bestiūculæ nostræ postmodū emamus, habebimus: cui vir Dimini, vt sine aliqua hęsitatione integrum daret, nihilq; sibi ex eo reseruaret, præcepit, nō ambigens sibi Dominū affuturū, qui illi omnia bona protinùs subministraret, qui cū iussioni eius obtēporans mulieri ipsum solidū dedisset, post pusillū ad eandē mulierem prædictus Sacerdos cucurrit, eāq; deprecatus est, vt quia non erat vnde sibi victum emeret, ei de ipso quod fœnerabat, saltem vel vnum tremissem redderet, vnde suę necessitati cōsuleret: cui estatim

vnum

vnum absq; mœstitia reddidit; duos verò secũ iucũda mente portauit. Nec mora. Et ecce subitò ante fores Monasterij reperti sunt ducenti asini onusti stantes, qui missi cum alimonijs diuersis ad eũdem virum à diuersis viris Catholicis fuerant. Quod cum viro Dei fuisset nuntiatum, & ab his, qui venerant esset oblatum, omnipotenti Deo immensas agens gratias illicò præcepit accersi Sagatum; qui cum venisset, ait ad eum. Vir Dei, quantum dedisti mulieri eleemosynam poscenti? At ille respondit. Secundum imperium tuum solidum, quem habui, integrum dedi. Sed quia vrgebat necessitas, vnum ab ea tremissem accepi. Et vir Domini dixit. Indulgeat tibi Dominus, frater, quia ambiguus extitisti, & de miseratione Domini desperasti. Insuper & in multos pauperes peccasti. Duos tremisses dedisti, ecce duo mille solidos, & ducentos asinos oneratos multis alimentis accepisti, nã si tertium tremissem non abstulisses, procul dubio trecentos asinos onustos accepisses. Deinde gratias agens, atq; gratiam benedictionis suæ pro gratiarum actione reddens cunctos, qui eum requisierant, sacris elogijs, simul & epistolis similiter refecit. Ille verò confestim pene cuncta, quæ illi directa fuerunt, pauperibus erogauit.

AD CAP. XIII. NOTAE.

1 CVm quibus eum mox homines punituri, quia Rege missi fuerant exilio in Monasterium relegati sunt. *Sic in M.S. sed meliùs dices.* Cum quibus cũ mox homines punituri, qui à Rege missi fuerant in Monasteriũ relegati sunt. *Et verbum,* exilio *abundat, quia sufficit dicere* relegati sunt. *Nam in Monasterium vbi Masona cum tribus pueris relegatus est, missi, seu relegati etiam sunt alij homines eum punituri, fortè quia malefici erant, & è consulto misit eos Rex in exilium ad Monasterium, quo Masonam relegauerat, vt in eum animaduerterent. In hoc exilio multa aduersa passus est sanctus Episcopus, ita M. Maximus in Chron. Dextri ann.* 579. Masona, *inquit*, qui Leouigildo procurante in exilium mittitur, in eo exilio molestiarum rationibus opprimitur. *Et iterum ann.* 586. Masona, qui Compluti exulabat, &c. *In Cõpluto erat Monasterium, non enim erat* Alcala de Henares, *quia prope Toletum est, vbi Rex*

remanserat. Sed quia exilium in longinquo debebat fieri: locum istud est iuxta Asturiam: nā ibi erat Complutum, & in eo Monasterium fundatum à sancto Fructuoso, antequam ad Episcopatum Bracharensem ascendisset, Ambros. de Moral. lib. 12. cap. 26. & 35.

2 Nepopis. *Aliàs Nepotianus, iuxta M. Maximum in Chron. an.* 581. Sumnia & Nepotianus Episcopi Emeritensis Ecclesiæ intrusi.

CAPVT XIIII.

Liuuigildus Rex percussus à sancta Eulalia Massonam restituit Ecclesiæ Emeritensi.

POst aliquot verò dies cum in Basilicam ipsiùs Monasterij gratia orationis intrasset, subitò super altare eiusdem sanctæ Basilicæ sacratissima virgo Eulalia in columbæ specie niuei coloris apparuit, [1] eūq; blādè alloquens, vtpote pijssima Domina fidelissimum consolari dignata est seruulum. Deinde dicit ad eum. Ecce iā tēpus adest, vt ad tuam regrediaris vrbem, [2] vt pristinū mihi debeas exhibere seruitium. Et hæc dicens

alacri

alacri volatu ab oculis eius euanuit. Vir itaq; licèt tantæ visionis, tãtæq; consolationis gratia exultaret, 3 flere nimirum cœpit, quòd quietẽ paupertatis, & peregrinationis suæ amittens ad turbines & procellas mundiales reuerteretur. Nõ illi quippe ambiguum erat id, quod audierat, confestim esse complendum. Tum deinde nulla intercurrente mora præfata gloriosa Virgo iniurias serui sui seuerissima vindicauit vltione. Deniq; nocte quadã recubanti in strato suo impio Liuuigildo tyranno adstitit, eiq; flagris diu, multùmq; vtraq; latera verberauit dicens. Redde mihi seruum meum, namsi moram feceris ad reddendum, scitote acrioribus supplicijs excruciandum. Ita nimirum flagellatus est miser, vt expergefactus cũ flectu magno cunctis sibi adsistẽtibus tot illatos ostendit liuores, & idcircò se clamitans fuisse flagellatum, quòd sanctissimo Episcopo iniurias irrogasset: nã qui ei verbera intulerat, nomen, habitum, vultusq; venustatem sigillatim pandit, & omnia magnis cum eiulatibus manufestissimè propalauit, illicò namq; veritus ne grauiùs Dei iudicio multaretur, vt erat semper in omnibus rebus simulator pessimus, ac dissimulator fallacissimus, piè simulata præcepit, vt vir Dei, qui fuerat à Ciuitate sua remotus, rursùm ad suam accederet regendam Ecclesiam. Qui cùm ea, quæ insanus Rex postulabat, minus annueret santissimus vir Massona, seseq;

permansurum, vbi relegatus fuerat, assereret, iterum iterumq; oblatis precibus poposcit, vt ad suã dignaretur redire vrbem, 4 pietas quippe summi Dei statim syncerum pectus emoliuit, ac beneuolentia copiosa viam suo famulo aperuit, vt regrederetur. Cùm verò Deo iam opitulante regrederetur, precibus, muneribusq; sibi eum propitium crudelissimus Rex nitebatur efficere, quem dudũ fraudis relegauerat damnatione. Ille autem munera respuit. Dona abnuit. Facinus perpetratum animo clementi laxauit, & iuxta sententiam Domini culpas debentium non retinuit, sed dimisit.

AD CAP. XIIII. NOTÆ.

1 SAcratissima virgo Eulalia in columbæ specie niuei candoris apparuit. *Nam figura columbæ ex vltimo flammarum supplicio spiritus eius euolauerat. Fuerũt præterea prope sepulcrum corporis in Ecclesia sua Emeritensi tres arbores perferentes flores in modum columbæ, quibus fertilitas, seu sterilitas anni vaticinabantur, multiq; infirmi curabãtur, vt ex Diuo Gregorio Turonensi de gloria Martyrũ lib. 1. c. 91. tom. 7. vet. Pat. colligitur: cuius hæc sunt verba.* Eulalia gloriosa apud

Emeritam vrbem paſſa, magnum miraculum in die immolationis ſuæ populis profert: ſunt igitur ante eius altare, quo ſacra membra teguntur, tres arbores, ſed ignarus ego cuius ſint generis. Cùmq; iam medio menſe decimo, quando eius paſsio celebratur ſint ab omni decore ſoliorum nudatæ, ea die eluceſcēte cœlo in modum columbæ alitis flores proferunt ſuauitatem, ſcilicèt, quod ſanctus eius ſpiritus in columbæ ſpecie penetrauit cœlos, & quòd beatum eius corpuſculum iam exanime, veſtibuſq; nudatum nix cœlitùs decidua molli vellere contigiſſet. Quod miraculum ſi ſolitæ arbores protulerint æſtate, ſcit populus ſibi annum, vel preſſuris vacuum, vel frugibus plenum. Quòd ſi tardiùs flores ex more peruenerint, cognouit plebs ſua hoc fieri noxa, nam priùſquam erumpant, querula ad ſepulcrum Martyris, ac mœſta decumbit, deprecans, vt ſolitam promereatur conſpicere gratiam, ſed neq; pſallēdo procedit, ſi hæc manifeſtata nō fuerint, iam ſi placatur Martyr à lacrymis plebis emergūt protinus ex arboribus gemmei flo-

flores, qui odorem nectareum respirantes, animi mœstitiam & aduentu lætificent, & reficiant suauitate. Dehinc diligenter collecti, & in Basilicam Sacerdoti delati, processio cum gaudio celebratur: nam & hos flores sæpius infirmis prodesse cognouimus.

2 Ecce iam tempus est, vt ad tuam regrediaris Ciuitatem. *Sic in M.S. sed meliùs,* vt ad tuam regrediaris vrbem.

3 Vir itaq; Dei licèt tantæ visionis, tantæq; consolationis gratia exultaret. *Sic in M.S. sed meliùs dices.* Vir itaq; Dei cum tantæ visionis, tantæq; consolationis gratia exultaret. *Iterum iterùmq; oblatis precibus poposcit, vt ad suam dignaretur redire Ciuitatem. Et in suo testamento hoc iussisse Leouigildum, inquit S. Maximus in Chron. anno 587. in hæc verba.* Rex morti proximus commendat in testamento se, Regnum, & Recaredum, filium, Mausonæ, Leandro, Fulgentioq; exulibus, quos filio mãdat suppliciter statim ab exilio reuocari. *Potuit enim reuocare exilium Mausonæ, tam in vita visione*

san-

sanctæ Eulaliæ, quàm in morte ipsius Mausonæ refugione: & ideo inquit Paulus: iterum atq; iterum oblatis precibus hoc poposcisse. Imò visioni sanctæ Eulaliæ secuta fuit mors, & etiam causa suæ conuersionis, & pœnitentiæ.

CAP. XV.

Fugienti Nepopi Pseudoepiscopo, Massona res Ecclesiæ recuperat.

DEhinc cum maximo commitatu de loco, quo relegatus fuerat, ad Emeritam vrbem reuersus est, cuius cùm regressum Nepopis, qui eidem fuerat subrogatus, audiuisset, terrore diuino subitò exterritus ad propriam vrbem, in qua anteà fuera Episcopus fugere nitebatur. Priùs tamen quam abiret argentum copiosum, & ornamenta insignia, & quæ meliora vidit in Emeritensi Ecclesia plaustris plurimis oneratis per homines Emeritensis Ecclesiæ clàm nocturno tempore ad suám vrbem fraudulenter immisit. Ipse, videlicèt Nepopis, infeliciter ab omni Clero, vel populo pulsus ab Emerita, ad vrbem suam festinus perre-

perrexit, ac ne eum vir Dei Masona in sua Ecclesia inueniret, & cum omni ignominia pelleret, quantocyus egredi festinauit. Cùmq; prior ipse cum paucis socijs fugeret, post ipsum cuncti ad eum pertinentes vrbē ignominiose egressi dispersi, conturbatiq;, ac per diuersa pallantes ad propriam tendebant vrbem. Cùmq; hæc agerētur, natu Dei, meritisq; sanctæ Eulaliæ contigit eodem die subitò sanctum Masonam cum infinita multitudine per ipsam viam egredi ad Emeritam vrbē, per quam plaustra rebus eius onusta properabant. Cui cum in ipso itinere haud procul ab vrbe obuiasset, vir Sanctus sciscitari præcepit, cuius essent homines, vel plaustra? At illi cognoscentes proprium dominum gaudio magno repleti responderūt. Serui tui sumus domine. Quos ille denuò, quid in plaustris ferrent, interrogauit. Illi autem dixerunt. Res sanctæ Eulaliæ, & tuas quas hostilis prędo Nepopis prædauit, & portauit; & ipsi infelices in captiuitatem pergimus separati à rebus, & filijs, ab vxoribus nostris, à patria, in qua nati fuimus, expulsi. Quod cū vir Domini audiuisset, gaudio magno repletus ait. Gratias tibi Domine Iesu ago, quia magna est multitudo dulcedinis tuæ, qui tantam in omnibus, potiùs licèt indignis coràm gerere dignatus es, & vt nos ab omnibus malis ereptos prosperè reduceres, & res tuas ditioni inimicorum minimè traderes. Et hæc dicens cunctos

ad

ad Vrbem suam reuocari præcepit, ac sic cum immenso gaudio gaudentibus cunctis ad Vrbē peruenit, & sicut quispiā sitiens in ardore caumatis 1
fluenta fontium concupiscit, sic ille ad Basilicam sanctæ Eulaliæ animo, feruentique spiritu annuente Deo peruenire meruit; cùmq; ibidem toto mētis affectu desiderij sui accumulasset affectū, exultans in Domino exultantibus vniuersis Vrbem ingressus est. Ita, nimirū, Ecclesia Emeritensis exultans cum summa iucunditate suum gubernatorem recepit: gaudebat enim, quòd reperisset ægrotus medellam, quòd oppressus inuenisset solatiū, quòd alimentum non deesset egeno. Quid multa? Reddita sunt à Domino Emeritensi Ecclesiæ copiosa suffragia: nam calamitatum penurias, & crebras pestilentiæ clades, insolentesq; totius Vrbis procellas sancti viri præsentia, Domino miserāte, suspendit, quibus indubie remoto Pastore causa eius absentiæ presserat.

AD CAP. XV. NOTÆ.

1 In ardore caumatis, *id est, in ardore æstus.*

CAP. XVI.

Liuuigildo Regi in hæresi mortuo Recaredus filius Catholicus succedit.

IGitur cum non præesset, sed obesset, magis perderet, quam regeret Liuuigildus Hispaniam, nec quidquam de flagitijs, vel facinoribus remaneret, quod non proprium sibi defenderet, deserens vsq; quaq; Deum, imò derelictus ipse à Deo, regnum simul cum vita infeliciter perdidit, [r] grauissimoq; morbo Dei iudicio correptus vitam fœdissimam amisit, & mortem sibi perpetuam acquisiuit, crudeliterq; è corpore eius anima resoluta perpetuis pœnis detenta perenniter Erebi mancipata Tartareis non immerito religata tenetur, picibus arsura semper bullientibus vndis. Post cuius crudelissimam mortem venerabilis vir Recaredus Princeps filius eius iure administrationem regni adeptus est, meritòq; ad culmē sibi debitum Principatus euectus est præcipuis meritis, legitimè, solemniterq; regale culmen tribuente Deo promeruit; vir deniq; Orthodoxus, & per omnia Catholicus, qui non patrem perfidum, sed Christum Dominum sequens ab Arrianæ hæresis prauitate cōuersus est, totamq; Vvisegothorum gentem mira prædicatione ad veram Fidem

Per-

perduxit, erat enim diuinæ Religionis assertor, rectæ gloriæ prædicator, defensor, omnibus modis Catholicam Fidem, sanctam Trinitatem coæternam, vniusq; virtutis, & substantiæ prædicans, atq; in personarũ proprietate distinguens, in natura vnum Deum affirmans, Patrem ingenitũ affirmans, Filiũ ex Patre genitum adstruens, Spiritũ verò Sanctum ex vtroq; procedere credens. His virtutibus videlicèt ornatus cœpit, omnes quos Deo caros sentiebat, diligire, horrere omnino, & execrari omnes, quos Deo cognoscebat odibiles, atq; hæreticorum nefandæ impietatis condemnare errorem; quod dum instanter fieret, & multa Catholicæ Ecclesiæ fauente Deo trãquillitas redderetur, & cũctis simultatibus pulsis Ciuitas Emerita vna cum sancto Massona Episcopo pro tantæ tranquillitatis gratia congauderet, & Domino indesinenter gratias ageret, rursus antiquus hostis inuidia assueta incitatus re diuina Dei famulo per suos ministros intulit prælia.

AD CAP. XVI. NOTAE.

1 Regnum cum vita infeliciter perdidit. *Idem Rod. Tolet. lib. 2. c. 14. Sed S. Maximus in Chron. ann. 587. Regem pœnitentiam egisse, Catholicèq; decessisse*

in hac verba ait. Leouigildum Regem ingrāuescente morbo corā aliquot Episcopis verè pœnitet, & occisi filij, & erroris Arriani tā pertinaciter defensi, & Catholicam ille Religionem amplexus, quam ex animo videtur confessus fuisse, compositè moritur secunda die Aprilis feria quarta die festo S. Theodosiæ, ad Cæsaream Cappadocū passæ, dilucescente die, & postridie sepultus est in Templo S. Mariæ vetustiori, ad Toletum. Rex morti proximus commendat in testamento se, Regnum, & Recaredum, filium, Mausonæ, Leandro, Fulgentioq; exulibus, quos filio mandat suppliciter statim ab exilio reuocari. Cuius Regis postremis halitibus interfui ego M. Maximus cum Domino meo Simplicio Cæsaraugustano Pōtifice Archidiaconus, ac eius pœnitentiam, lacrymasq; notaui. *Addidit etiam S. Gregorius Turonensis per septem dies egisse pœnitentiam lib. 8. de Historia Frācorum, c. vltimo, & Diuus Gregorius Magnus lib. 3. Dialogorum c. 31. inquit; Regem Leouigildum commendasse filium Recaredum Leandro Episcopo Hispalensi, vt esset similis fratri*

Her-

Herminegildo in Fidei Catholicæ obseruatione. Et si noster Paulus Diaconus contra hoc scripsit, fuit quòd Rex in publico non abiurauit hæresim propter subditorum metum, vt nostri Historiographi dicunt, & ideò dixit, non quod clam viderunt S. Maximus, & S. Gregorius Turonensis, qui eius morti affuerunt, sed quod palam ab omnibus popularibus dicebatur.

CAP. XVII.

Cùm Sunnæ Pseudoepiscopi fraude à Vviterico Comite Massona gladio peteretur, miraculo liberatur.

SVnna namq; Gothicus Episcopus, cuius supra mentionem fecimus, irritatus à diabolo quibusdã Gothis nobilibus genere, opibusq; perquam ditissimis, è quibus etiam nonnulli inquibusdam Ciuitatibus Comites à Rege fuerant constituti, [1] consilio diabolico persuasit, eosq; de Catholicorum agmine, ac gremio Catholicæ Ecclesiæ cum innumerabili multitudine populi separauit, & contra famulum Dei Massonam Episcopum fraudulenta consilia qualiter eum interficerent, commentatus est. Tum deinde ad eum pue-

ros suos misit, & quasi ex affectu charitatis ad domum suam per eosdem venire rogauit, vt ibidem virum Dei crudelissima morte perimeret, qui cũ venissent, eiq; suggessissent, mox vir Dei spiritu Dei repletus colludium eorum intellexit, & statim ait. Ego illuc abire modò minimè possum, quia est, quod pro vtilitatibus Catholicæ Ecclesiæ disponere debeam, sed si me desiderat videre, huc in atrium Ecclesiæ veniat, & quemadmodũ vult, ita me videbit. Hi verò, qui missi fuerant, redeuntes ea, quæ audierant, renuntiauerunt. Cùmq; ea audisset, suprà dictos Comites, cum quibus sanctũ virum interficere disponebat, ad domum suã protinus adsciuit, eisq; ad atrium vnà cum eo pergerent, dixit, ita tamen cum eis priùs diffiniuit, vt cũ atrium introirent, vnus ex illis, cui Vvitericus nomen erat, [2] qui etiam pòst Rex Gothorum fuit, exempto gladio in beatissimum virum vno ictu transuerberaret, vt secundo opus non esset. Cùm autem huiusmodi consilio iam dictum Vvitericũ informasset, ad atrium sancti Episcopi vno animo, eademq; sententia omnes simul perrexerunt, qui cum venissent, & illicò ingredi voluissent prohibiti sunt, & vt paulisper pro foribus expectarent, admoniti sunt, quoadvsq; sanctus Massona ad Claudium [3] virum clarissimum Ducem Emeritensis Ciuitatis mitteret, vt eo præsente se mutuis, alternisq; cernerent aspectibus. Idem verò Claudius

dius nobili genere ortus Romanis fuit parentibus progenitus; existebat prorsus Fide Catholicus, & Religionis vinculis fortiter adstrictus, in prælijs strenuus, in timore Dei valde promptus, in bellicis studijs eruditus, in causis bellicis nihilominus exercitatus. Cùmq; eidem nuntiatum fuisset, quia domus eius valde contigua erat Palatio, mox cum ingenti multitudine perspicaciter properans adfuit. Deniq; cùm vir illustris Claudius atrium introisset, protinus & illi, qui suprà memorati sunt, cũ ingentibus cateruis populi introierunt, ac deinde salutato viro ex more resederunt. Cùmq; diu, multùmq; residentes adinuicem loquerentur, idẽ iam dictus Vvitericus iuuenis fortissimus stans post scapulam 4 egregij viri Claudij Ducis, vtpote iuuenior adhuc ætate reddens obsequium seniori, imò nutritori suo, gladiũ, quo erat accinctus, toto nisu è vagina sua eripere voluit, vt sanctum Massonam, simulq; Claudium, secundum quod diffinitum fuerat, trucidaret. Sed nutu Dei ita gladius in vagina adstrictus est, vt putaretur clauis ferreis cum ea fuisse confixum. Cùmq; diù, multùmq; ensem eripere voluisset, & omnino non valuisset, cœperunt auctores huius praui consilij tacitè admirari, cur Vvitericus, quod fuerat pollicitus, minimè adimpleret, eumq; subtiliter oculis intuentes magis, magisq; hortabantur, vt tantum nefas, & tam immane piaculum incunctanter pa-

trare deberet, & prædictos viros gladio animaduertere nullatenus formidaret, ad quorum crudelissimam exhortationem iterum atq; iterum spatam suam 5 è vagina totis viribus eripere voluit, sed nunquam potuit. Cùmq; hoc suprà dictus iuuenis cerneret, sensit diuino munere gladium fuisse adstrictum, vt quem semper suis vsibus aptum habuerat, tũc minimè eripere potuisset, & hic stupore nimio conuersus expalluit. Auctores huius nefandi sceleris, vt viderunt cõcionationes sui nequissimi consilij diuino iudicio esse frustratas, illicò surrexerunt, ac vale facientes ad domos suas cũ amaritudine redierunt.

AD CAP. XVII. NOTÆ.

1 QVosdam Gothos nobiles genere opibusq; perquam ditissimos, & quibus etiam nonnulli in quibusdã Ciuitatibus Comites à Rege fuerant constituti. *Ex his verbis constat, non omnes Gothos nobiles genere fuisse, vt aliquibus auctoribus malè placuit: nam si hoc esset verum, satis erat dicere quosdam Gothos opibus perquam ditissimos, sed ad differentiam Gothorum ignobilium dixit, Gothos nobiles genere. Quia certum est*

vtroq;

vtroq; statu distinctos fuisse, ita ex Diuo Isidoro Histor. Gothorum, era 640. loquens de Rege Liuva filio Recaredi. Ignobili quidem matre progenitus. *Et ipse Paulus Diaconus infr. c.* 19. Nobiles genere; profani tamen mentibus, & ignobiles moribus. *Resoluimos en los Discursos de la nobleza de España, discurs. 4. n. 8. in eodemq; libro, discurs. 13. n. 11. tractauimus de Comitibus Gothorum, qui aut propter gubernationem aliquarum Ciuitatum, aut propter officium principale in domo Regis obtentum, Comites appellabantur. Tanta erat enim magnitudo populi Ciuitatis Emeritæ apud Gothos, quòd in ea plurimi nobiles genere, & diuitijs, necnon Comites habitabant.*

2 Vvitericus. *Fuit Comes, & illustris vir Emeritensis, & posteà factus Rex Gothorum anno Domini 603. & ab Aurasio Episcopo Toletano coronatus, ita M. Maximus in Chron. ann. 603. & à suis occisus ann. 610. Isidor. Historia Gothorum, era 642. cui successit Gundemarus.*

3 Claudium. *Hic Dux oriundus fuit Emeritæ; ita Euprãdus, aut Leuprandus Subdiaco-*

nus Toletanus; his verbis: Claudius Dux natus Emeritæ floret, ex Basilica Massonæ sorore filius, & ex Claudio genere Romano vrbis Regiæ Emeritæ. *Fuit maioris auctoritatis in toto Regno; & sic Diuus Gregorius Summus Pontifex ad eum scripsit, vt apud Regem Recaredum pro Abbate Cyriaco intercederet, quem ad eum cum mandatis mittebat, cuius Epistola est 124. in lib. 7. Alteraq; S. Isidori inuenitur, quam ad eum rescripsit, vt cuidam eius responderet. Et ipse Claudius, vt Comes limitaneus, & Vvitericus Comes stabuli interfuerunt in Concilio tertio Toletano.*

4 Stans post scapulam egregij viri Claudii, *vel quia iuuenes solebant stare ad scapulas seniorum, vel quia Claudius erat Gubernator Prouinciæ.*

5 Spatam suam, *quam in ipso capitulo appellauerat gladium*; Exempto gladio; *& etiam ensem educere voluisset. Ensis enim, & gladius nomina sunt Latinorũ. Spata verò Hispanorũ, & remansit vsq; adhuc, & à nobis hoc nomen sumpserũt Romani, & est gladius particularis Hispanorum. Iust.* Lipsius *de militia Romana dialog.* 3.

CAP.

CAP. XVIII.

Iterum Massona ab insidijs Sunnæ ope Claudij Ducis Emeritensis liberatur. Sunna pertinax, & exul obit in Mauritania. Vacrila socius criminis fit mancipium Ecclesiæ.

ILlisq; reuersis Vvitericus cum eis minimè redijt, sed statim tremebundus ad pedes viri sanctissimi Massonæ Episcopi corruit, omneq; consilium prodidit, & quemadmodum eum percutere voluerat, neq; gladium eripere potuerat, synceriter enarrauit. Post hæc cum lacrymis ait. Confiteor peccatum meũ, quia tota intẽtione hoc malũ perpetrare volui, sed nõ mihi permisit Deus. Et adiecit. Nam & aliud aduersus te deposuerunt consilium, vt quia hìc in atrio modò nõ præualuerunt, saltem in die sacratissimo Paschæ præualeãt. Hanc verò dispositionem habent. Vt cùm ex more in Pascha Missam celebraueritis in Ecclesia vetustiori, post Missam, iuxta quod mos est, ad Basilicam sanctæ Eulaliæ psallendo cum omni populo Catholico processeritis, [1] homines eorum ad portam Vrbis cum multis plaustris onustis gladijs, & vectibus dissimulata calliditate, quasi

frumenta deferant, ſtaturi ſunt, cùmque vos inermes ſimpliciter proceſſeritis, omnis eorum repleta ſuper vos irruat multitudo, arreptiſque gladijs, vel fuſtibus omnes pariter viros, ac mulieres, ſenes, & paruulos crudeli morte interimant. Ego verò infelix, qui me in tantum facinus commiſcui, à te pijſsimo domino meo indulgentiam peto, vt mihi tuis precibus veniam Dominus tribuat deprecor. Omnia tamen, quę noui, fideliter ſuggero, & puriſsimè manifeſto: & ecce in manibus veſtris ſum, facite in me, quod bonum eſt, & rectum videbitur in oculis veſtris. Ac ne forſitan me tua ſanctitas fallacem, aut illuſorem exiſtimet, non me permittas egredi atrium, ſed in cuſtodia, qua iuſſeris, trade, donec omnia ſtrenue perquiras, ac certiſsime cognoſcas, [2] & ſi me mentientem aliter repereris, nolo viuere. Cùm hæc vir Domini Maſſona, qui ſemper virtute pietatis enituit, audiſſet, eum, vt nihil omnino metueret, blandè admonuit. Gratias omnipotenti Deo egit, qui ſeruos ſuos de tantis periculis liberauit, ac deinde ad Claudium Ducem miſit, [3] eique omnia intimauit: quod cum ille audiuiſſet, præcepit, vt cauſa paululum ſilentio tegeretur, ne forſitan cognoſcentes proditum fuiſſe eorum conſilium, fugam arriperent. Sed cùm ſagaciter inueſtigaret, manifeſtiſſimè reperit eſſe verum, quod fuerat nuntiatum.

Cùmq;

Cùmque ea quæ exposuerant Comites suprà dicti Arriani præbuissent, ex more in occursum disposita circumquaq; multitudine insidij repente super eos Dux irruit Claudius, & alij ex ijs capti sunt, alij verò, qui gladijs operari voluerunt, gladio statim perierunt. Tum deinde ad domũ Sunnæ Arriani Episcopi cum ingenti multitudine Dux Claudius perrexit, ipsumq; similiter hæreticum Episcopum nihil horum opinantem cõprehendit, eumq; ardue custodiendum Sãcto Masson æ Episcopo delegauit, similiq; modo vniuersos collegas eius custodiæ mancipauit. Vvitericum verò, qui nefandorum consilia manifestauit, liberum abire præcepit, & omnia, quæ fuerant gesta, Orthodoxo Principi Recaredo Claudius Dux intimauit, atque vt porrecta confestim decreti sententia ei præciperet, quid de hostibus Domini Iesu Christi fieri deberet, suggessit. Rex verò huiusmodi suggestionem accipiens talem dedit sententiam. Vt cuncti omnibus patrimonijs, vel honoribus priuati in exilium multis vinculis ferreis constricti mitterentur. Sunnam verò Pseudoepiscopum exhortarentur conuerti ad Fidem Catholicam; & si conuerteretur, tunc demum ei præciperet, vt pœnitentiam ageret, & satisfactione lacrymarum sua delicta defleret, vt acta pœnitudine, cum eum iam cognoscerent perfectum esse Catholicum post-

mo-

modum in quacumque alia Ciuitate ordinarent Episcopum. Cùmque ei crebrò dicerent, vt pœnitentiam tantis periculis ageret, & furorem Domini, quem delinquendo excitauerat, deflendo mitigaret; quod agere noluit, ſed priſtinam non amittens tyrannidem hæc reſpondit. Ego, quid ſit pœnitentia, ignoro. Ob hoc compertum ſit vobis, quia pœnitentiam neſcio, & Catholicus nunquam ero, ſed & ritu, quo vixi, viuam, aut pro Religione, in qua nunc vſque ab ineunte ætate mea permanſi, libentiſsimè moriar. Cuius cùm mentem obſtinatam, pertinacemque in malis cernerent, hunc protinus de finibus Hiſpaniæ, ne alios peſtifero morbo macularet, cum ſummo dedecore infeliciter propulerunt, atque immodicam ſuprà nauiculam ignominioſe impoſuerũt, eique cõminantes præceperunt, vt in quẽcumque locum, regionemve tranſmeare vellet, liberum haberet arbitrium; quocumque verò tempore in Hiſpania fuiſſet repertus, grauiori ſe cognoſceret multandum ſententia. Tum deinde nauigans Mauritaniæ regionis contigit litus, atque in eadem Prouincia aliquandiu commoratus, multos perfidiæ impij dogmatis maculauit. Deinde protinus diuino multatus iudicio crudeli exitu vitam finiuit. Baſilicas verò, quibus ſanctus Maſſona dudum iniuſte caruerat, iuſte cum omnibus priuilegijs recipere meruit, & omne patri-

trimonium suprà dicti hæretici concedente Clementissimo Principe Recaredo adeptus est. Cæteros verò viros scelestos, quos suprà memorauimus, iuxta præceptum Regis relegarunt, è quibus vnus qui vocitabatur Vacrila, de eorũ manibus euadens ad Basilicam sanctæ Eulaliæ ob remedium percipiendum confugit: 4 quod cum Principi Recaredo suprà dictus Claudius intimasset, hoc dixisse fertur. Inimicus summi Dei, miror, cum qua facie atria eius sancta ingredi præsumpserit, vt quem hactenus insaniendo frustra persequutus est, nunc ad eum causa percipiendi remedij confugium fecit, sed quia multæ miserationis nouimus esse Deum, & nullum despicere quamuis delinquentem ad se conuertentem, ob hoc itaque decernimus, vt ipse Vacrila cum vxore, filijs, & omni patrimonio suo perpetim sacratissimæ Virgini Eulaliæ deseruiat: nam & hoc præsenti decreto sancimus: & sicut vltimi pueri ante equum dominorum suorum absque aliquo vehiculi iuuamine ambulari soliti sunt, ita ante caballum domini, qui præest cellæ sanctę Eulalię, ambulare debeat, & omne seruitium, quod infimum consueuit peragere manipcium, coram eo deposito cothurno, vel fa tu, cum omni humilitate exhibeat. Accepta igitur sanctus Massona auctoritate eum illico de Basilica egredi, & ad suum conspectum venire

nire

nire præcepit, & vt semper visceribus pietatis affluebat, eum blandè, ne aliquid iam deinceps formidaret, admonuit, sed vt iussioni Principis obtemperaret causa obedientiæ de Ecclesia sanctæ Eulaliæ vsque ad atrium, quod est fundatum infra muros Vrbis; ante caballum Diaconi Redēti pergere ordinauit, arreptoq; baculo suprà dicti Diaconi manibusq; gestans cū ad atriū peruenisset, statim eum liberum abire permisit cum vxore, & filijs, & omnibus prædijs suis; hoc solum illi præcipiens, vt omnibus modis Catholicam Fidem integram, immaculatamq; custodiret cunctis diebus vitæ suæ.

AD CAP. XVIII. NOTÆ.

1 MOs est, ad Basilicam sanctæ Eulaliæ psallēdo cum omni populo Catholico processeritis. *Mos eundi cum processione ex Ecclesia Maiori S. Mariæ ad Ecclesiam S. Eulaliæ vsq; nunc, ita, volente Deo, conseruatur.*

2 Ac certissimè cognoscas. *Sic in M.S. sed dici poterat*, ac certissima cognoscas.

3 Ad Claudium Ducem misit. *De quo sup. c. 17. & infra c. 19.*

Va-

4 Vacrila de eorum manibus euadens ad Basilicam sanctæ Eulaliæ ob remedium percipiendum confugit. *Cognoscitur quanto tempore immunitas Ecclesiarum obseruabatur, siquidem Vacrilæ licèt hæretico profuit ad Ecclesiam decurrisse, ex qua non solùm non extrusus est, sed etiam crimen eius, in reuerentiam inclytæ Martyris remissum. Post verò aliquod tempus Rex Gundemarus de hoc legem tulit, vt inquit Vasseus ann. 610. & constat ex Concilio Toletano 12. relato in cap. diffiniuit 17. q. 4. & ex textu in cap. inter alia de immunitat. Eccles.*

5 Infra muros Ciuitatis. *Aliàs*, intra muros Ciuitatis. *Et ex hoc verificatur Ecclesiam sanctæ Eulaliæ esse extra muros, vt hodie; Ecclesiam autem maiorem, & atrium Episcoporum intra Vrbem.*

CAP. XIX.

Narbonensis tumultus Arrianorum ab Episcopo Vitalago excitatus compressus est opera Recaredi Regis.

EA Igitur tempestate apud Galliarum eximiam Vrbem Narbonam huiuscemodi cõtra Fidem Catholicam Diabolus excitauit seditionem, cuius causa seriem enarrare perquam longum est: nam si hoc per ordinem persequi voluerimus, tragœdiã magis, quàm historiam texere videbitur. Sed breuiter, summatimq; exiguam particulã enarremus. Dico denique, Comites inclyti licèt opibus, & nobili genere, profani tamen mentibus, & ignobiles moribus, Granista videlicet, & Vildigernus vnà cum Arriano Episcopo nomine Atholocus, [1] vel alij plurimi compares errorum suorum grauiorem in eadem regione fecerunt turbationem: nam suscitantes aduersus Fidem Catholicam infinitam multitudinem Francorum in Gallias introduxerunt, quatenus vt prauitatem Arrianæ partis vindicarent; & si fieri potuisset Regnum viro Catholico Recaredo præriperent. Interim per idem tempus innumerabilem Clericorum, Religiosorum, & omnium Catholi-

corum

corum interficientes multitudinem immensam fecerunt stragem, quorum scilicet Saluator noster IESVS CHRISTVS animas omni auro obrizo puriores, omniq; lapide pretioso pretiosiores velut holocaustomata suscipiens cateruis Martyrum in cœlesti sacrario collocauit. Post hæc igitur nulla mora intercurrente sublimis, atq; omnipotens Deus hostibus suis superno brachio repugnans, precibus excellentissimi Recaredi Principis sanguinem innocuum vlciscens rhomphæali iudicio protinus de inimicis mirificam fecit vltionem. 2 Deniq; prostratis, consternatisque vniuersis Fidei Catholicæ inimicis, sanctus Massona Episcopus cum omni plebe sua psalmodiæ canticum exorsus mysticas laudes Domino cecinit, ad aulam almæ Virginis Eulaliæ, omni cum plebe laudãtes, hymnizantesq; venerunt. 3 Ac deinde Paschalem solemnitatem omnes cum eo ciues iucũdissimè celebrãtes more priscorum per plateas fragore magno iubilãtes in laudem Domini clamauerunt dicentes. Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est: & iterum: Dextera tua Domine glorificata est in virtute. Dextera manus tua confregit inimicos, & præ multitudine maiestatis tuæ contriuisti aduersarios tuos. Post hæc remotis ab omni parte tempestatibus copiosam Dominus populo Catholico largiri dignatus est pacem.

AD CAP. XIX. NOTAE.

1 VNa cum Arriano Episcopo nomine Athalocus. *Aliàs* Vitalocus, *vtroq; nomine apud Authores inuenitur.*

2 De inimicis mirificam fecit vltionem. *Gunteranus Rex Galliæ peramplum exercitũ sexaginta millia Gallorũ continentem sub Duce Bosso comparauit. Per Narbonam, quæ tunc Rex noster Recaredus sub ditione tenebat, ingressi sunt, quibus Dux Claudius Emeritensis iussu Regis Recaredi occurrit. Hic electis tercentum militibus, ex copijs, quas Emerita eduxit cum Gallis conflixit, illosq; vicit, pluresq; eorum occidit. Ioannes Abbas Biclarensis in suo Chron. de hac victoria; hæc verba dicit:* In hoc ergo certamine gratia diuina, & Fides Catholica, quã Recaredus Rex in Gothis fideliter adeptus est, esse noscitur, sperata. Quemadmodum non est difficile Deo nostro siue in paucis, siue in multis detur victoria; nam Claudius Dux cum trecentis viris sexaginta millia ferme Francorum noscitur infugasse,

gasse, & maximā eorum partē gladio trucidasse. Non immeritò Deus laudatur temporibus nostris in hoc prælio esse operatus, qui similiter ante multa tēporū spatia per manū Ducis Gedeonis in trecētis viris multa millia Madianitarū Dei populo infestātiū noscitur extinxisse. *Diuus Isidorus Histor. Gothorū era 635. inquit*: Nulla numquā in Hispanijs Gothorum vel maior, vel similis extitit. *Roder. Episcop. Tolet. lib. 2. de rebus Hispaniæ.* Francos enim cum sexaginta fermè millibus armatorum in Galliam Gothicam irruentes misso aduersus eos Emeritensi Duce Claudio glorioso triūpho repulit, & prostrauit. *Ambros. Moral. lib. 12. c. 2. inquit: Regem Recaredum ad huius victoriæ memoriā quandā monetam auream cudisse, quā ipsemet vidit, in altera eius parte effigies, nomenq; Recaredi erat; in altera verò hoc scriptum*, EMERITA VICTOR; *quo significabat cum gente Emeritensi hostes ab eo victos fuisse.*

3 Deniq; prostratis, consternatisq; vniuersis Fidei Catholicæ inimicis S. Massona Episcopus cum omni plebe sua psalmodiæ can-

canticum exorsus mysticas laudes Domino cecinit ad aulã almæ Virginis Eulaliæ, &c.

Hæc gratiarum actio tam longo sermone à nostro Paulo repetita, ea ratione acta est, quoniam huius Vrbis fuerunt milites, qui ex Gallis victoriam prædictam assecuti fuerunt.

CAPVT XX.

Massona valde senex factis eleemosynis moritur, Eleutherico Archidiacono ex prædictione viri sancti præmortuo.

SAnctus itaque Massona cum multis curriculis annorum adminiculante diuino suffragio Emeritensem regeret Ecclesiam, fessus iam nimia senectute in febrim correptus est, cœpitq; viribus totius corporis repentè destitui; tum deinde conuocans Archidiaconum suum nomine Eleutherium ait illi. Cognosce fili, quia tempus meæ resolutionis instat; & ideo obsecro te, atq; moneo, vt iam modò ita curam sanctæ Ecclesiæ, totiusq; sanctæ Congregationis solicitè geras, vt me in omnibus securum reddas, & mihi liceat in loco secreto mœroris anima mea, priusquam abeam, defleã delicta. His auditis iam dictus Archidiaconus eius

non

non infirmitati, & senectuti compassus est, non se desolari tanti Patris solatio doluit, sed potius per eius obitum gaudio magno gauisus est. Protinus cor suum lætitia transitoriæ potestatis inflauit, ita nimirum, vt cum magno comitatu puerorũ superbus equo vehente huc, atq; illuc properaret. Post aliquantis autem diebus accidit, vt sanctus Massona Episcopus puerulis, qui ei fidele exhibebãt seruitium libertatis chartulas conscriberet, & per cõfirmandas eorum libertates aliquam particulam pecuniæ tribueret, aut certè exiguas possessiunculas conferret. At vbi Archidiacono iam dicto nuntiatum est, illicò atrium petijt, quemadmodum sanctus Episcopus se haberet, sciscitauit, [1] cui cùm dictum esset, quia inualescente cangore morti iam, iamque propinquaret, statim suprà dictos pueros accersiuit, & quid illis fuisset veraciter à sancto Episcopo illatum requisiuit. Cui cùm illi veraciter dixissent, excitatus in furiam cœpit eis minans turbulenter prætendere terrores, ac dicere. Videte, quod accepistis, benè conseruate: nam si mihi omnia intemerata, cùm requisiero, non præsentaueritis, scitote vos grauissimis supplicijs fore excruciãdos. Et his dictis cũ furore domum suam reuersus est. Tũ deinde suprà dicti pueri cellã, in qua sanctus vir Massona Episcopus æger in lectulo recubabat, ingressi amarissime coram eo flere cœperunt dicentes:
Mise-

Misericordiam in nos indignos pro tua pietate fecisti; quod vtique meliùs nobis conuenerat, si non fecisses. Ecce adhuc tu viuis, & tantas nobis minas prætendunt te defuncto. Quis è nobis de eorum manibus queat liberare? Hæc, & his similia multa coram eo lacrymabiliter affati sunt. At ille his auditis non facile credidit, sed priùs, vt suæ grauitati condecebat, vtrùm verum, an falsum esset, quod dicebatur, sagaciter exquisiuit. Cùm autem comperisset verum, quod audierat, lacrymatus est, statimque se in cellula leuari, & ad Basilicam sanctæ Eulaliæ Virginis, cui semper deuota mente seruierat, deferri, præcepit; Cùmque ibidem sanctissimus senex peruenisset, coram altari sacro manus expandens, simulq; venerabiles oculos cum lacrymis ad cælum sustollens, cum magno gemitu sese in terram prostrauit, & preces suas diu, multùmque in conspectu Domini fudit. Completa verò oratione clara voce cunctis audientibus ait. Gratias tibi ago Domine, quoniam exaudisti me. Benedictus in sæcula sæculorum, quia non amouisti deprecationem meam, & misericordiam tuam à me. Et his dictis ad Episcopũ redijt; ita, nimirum, redditus primo robori, vt putares hunc non ægrum, non senem, sed rediuiuum; qui cùm ex more ad vespertinum officium vellet procedere, mirum in modum gaudentibus cunctis Archidiaconus hæc audiens reatu suo

pres-

pressus obstupuit, quod audiebat ad vesperas processurum, quem putabat eodem die moriturum, confusione, & pudore faciei opertus secundum cõsuetudinem cum omni Clero venit, 3 & coram Episcopo adstetit, eiq; ex more incensum obtulit, cui vir Domini ait. Præcedes me, sic mihi anima tua viuat: quod ille audiens non intellexit pleniùs, sed cæteros Diaconos percontatus est, quidnam esset, quod sanctus Episcopus dixisset. Præcedes me. Illi verò ignorantes causam respõderunt. Nõ pro alio tibi dictum est, nisi quia eum præcedes ad Ecclesiam. Cùmq; vespertinum cœpisset implere Officium, statim suprà dictus Archidiaconus grauissimo dolore, ibidem in choro psallentium, percussus ad domum suam cum graui ægritudine remeauit. Quod cum genitrix eius sanctissima scilicèt fœmina agnouisset, illicò ad venerabilem virùm rapidissimo cursu properauit, cùmq; deprecari cum lacrymis, & fletu magno cœpit, vt pro filio eius oraret ad Dominum. Ad hæc ille tãtum respõdit. Quod oraui, oraui. Ex die tertio Archidiaconus obijt. Sanctus verò Massona Episcopus plurimis, quibus superstes fuit, diebus multã eleemosynam egenis impertiuit, ac fidelibus famulis maiora suæ gratiæ beneficia conferens, largiora stipendia munerum tribuere est dignatus. Deinde senex nimiũ ætate decrepitus, multorũq; dierũ vltimũ inter verba orationis cũ pace efflauit spiritum. 4

AD CAP. XX. NOTAE.

1 QVemadmodum sanctus Episcopus se haberet sciscitauit. *Melius dicetur*, scitatus est.

2 Ad Episcopum redijt. *Id est*, ad domum Episcopalem.

3 Secundum consuetudinẽ cũ omni Clero venit, &c. *De hoc more largius dixit Paulus sup. c. 6.*

4 Efflauit spiritũ. *Anno Domini 605. secũdum M. Maximum apud Dextrum.* Sanctus Massona Metropolitanus Emeritensis moritur prima die Nouẽbris, vt Sanctus habetur, in sede S. Eulaliæ sepelitur: *& noster Paulus sup. c. 2. inquit corpus huius Sãcti, aliorũq; qui ibi sepeliebantur, multa miracula facere. Præfuit S. Mausona tertio Concilio Toletano, vbi quinq; Archiepiscopi, septuaginta Episcopi cõperti fuerunt, & in primo loco ita subscripsit.* Mausona in Christi nomine Ecclesiæ Catholicæ Emeritensis Metropolitanus Episcopus Prouinciæ Lusitaniæ ijs cõstitutionibus, quibus in Vrbe Toletana interfui, annuens sub-

scrip-

scripsi. *Ita Archiepiscopus Loaisa in collectione Cõciliorum, qui ait, fol. 297. quoq; præfuisse. S. Isidorus librum de Summo bono Mausonæ dicauit, quod cõstat ex principio cap. Hoc ipsum, 32. q. 2. in Decretis, ibi*: De his ita scripsit Isidorus ad Mausonam Episcopum in præfatione ad librum de Summo bono.

CAPVT XXI.

Post Massonam Innocentius Diaconus fit Episcopus Emeritensis, & post illum Renouatus, vterq; clarus miraculis.

POst discessũ suprà dicti, ac venerabilis Massonę Episcopi subrogatur vir summæ almitatis, ac simplicitatis nomine Innocentius, 1 cuius meritũ nominis indicabit vocabulum Innocens vtiq;, & simplex neminẽ iudicãs, nemini nocens, innocuus semper, & pius cunctis suę vitę tẽporibus extitit. Qui eodẽ tempore, quo ordinatus est (vt fertur) in ordine Diaconorum vltimus habebatur. Tantæ deniq; sanctitatis, tantæq; compũctionis fuisse perhibetur, vt quoties pluuia deesset, & æstu nimio terrã longa siccitas exarebat, collecti in vnum ciues loci illius cum eodem per Basilicas Sãctorum precibus Dominum exorantes pergebant. Repente verò quotiens cum eo

 pro-

procedebant, pluuia cœlitùs largiflua tribuebatur, quæ plenissimè terram satiare posset. Vndè non dubium erat, quin eius lacrymæ ex tam humili, simpliciq; mente editæ apud omnipotentē Deū non solùm hæc, verùm etiam potiora his obtinere possunt. Quo etiam defuncto Renouatus ² Sacerdotij culmen cūctis virtutibus decoratus non immerito promeruit: vir deniq; natione Gothus, generoso stēmate procreatus, familiæ splendore cōspicuus. Erat enim procerus corpore, forma perspicuus, statura decorus, obtutu gratus, venusto vultu, decora facie, nimiūq; admirabilis aspectu. Sed quamuis extrorsus habitus sui gloria esset decoratus, introrsus pulcrior habebatur lumine Sanctispiritus illustratus. Multis, nimirum, artium disciplinis existebat eruditus, multisq; virtutum varijs generibus adornatus. Erat enim egregius in omnibus operibus suis, æquissimus, iustissimus, nimiumq; acris ingenij, & in omnibus disciplinis Ecclesiasticis vehementer instructus, atq; in diuinis voluminibus perquam exercitatus. Hic cum multis virtutibus coruscaret, sacra doctrina nonnullos discipulos erudiens, sanctissimoq; exemplo vitæ suæ institutus, prudētia videlicèt, sanctitate, patientia, mansuetudine, misericordia plurimos tales, qualis extitit, lima iustitiæ, sequentiq; dogmatis prædicatione effecit, cuius doctrina hactenus rutilat, & fulget Ecclesia, vt Sol & Luna.

Dein-

Deinde cum per plurimos annos irreprehensibiliter rexisset Ecclesiã, Angelicis cœtibus copulaturus, omnibusq; cœlestibus partium supernarum legionibus coniuncturus, mirabiliter artubus resolutis è corpore egrediens superni Regni aulam cum Christo semper mansurus, & sine fine regnaturus introire meruit. Horum igitur suprà dictorũ Sanctorum corpora in vna, eademq; cellula haud procul ab altari sanctissimæ Virginis Eulaliæ honorifice tumulata requiescunt, 3 ad quorum deniq; veneranda sepulcra tantam Christus quotidie confert copiosæ charitatis gratiam, vt quacumq; fuerit quispiam ægritudine vexatus, quocũq; etiã fuerit langore afflictus, statim vt diuinum numen illic toto corde depoposcerit, omnes à se morbos discussos, omnesq; maculas pulsas diuinitùs sentiens, hilaris, sanusq; ad cupitam per Dei gratiam peruenit sanctitatem. Quantitatem scilicet miraculorum, obitumq; simul impeditus, vt potuit, sermo Christi militum enarrauit, qui quãlibet squalore nimio peritis imperitus displiceat, omissa pompa verborum humiliter sentientes, credẽtesq; nobilitat, & quoddam molumentum bonæ mercedis legentibus, audientibusq; accumulat. Ego autẽ humillimus omniũ fastidiosis lectoribus precor, vt legant priùs huius Codicis opuscula, & postea despiciant, ne videatur ex initio, sed ex odio præsumere, & ignorata damnare. 4 Illud tamen

mani-

manifestissimè cognoscant me amore Christi, & dilectiore sanctissimæ Eulaliç impulsum, vt scriberẽ, manifesta retulisse, vera procul dubio veraciter exposuisse. Vni in Trinitate Domino semper manenti, regnantiq; perenniter gloria, honor, fortitudo, gratiarũ actio, virtus, potestas, & benedictio, nũc & semper, & in sæcula sæculorũ. Amẽ.

AD CAP. XXI. NOTAE.

1 A Innocentius. *Subscripsit secundo loco Concilio Toletano an.* 610. *celebrato, sic dicens.* Ego Innocentius Emeritẽsis Prouinciæ Lusitaniæ Metropolitanus Episcopus, dũ in Vrbem pro occursu Regio aduenissem, agnitis his constitutionibus adsensum præbui, & subscripsi. *Ita in collectione Cõciliorum, fol.* 263. *Rex tunc erat Gundemarus.*

2 Renouatus. *Fuit anteà Abbas Caulianẽsis Cœnobij ordinis S. Benedicti, vt dictũ est sup. c. 2. decessit ann. Domini* 633 *secundũ Marietã lib. 5. c. 42. Successores igitur vltimi Episcopi de quo scripsit Paulus hic, fuerũt Stephanus, qui inuenitur in Cõcilio 4. Toletano ann. Domini 633. celebrato. Orontius, qui præsidet in Concilio 7. Toletano ann. 646. & ita subscripsit in*

pri-


primo loco. Proficius, qui congregauit Conciliũ Emeritensem ann. 666. Festus, de quo in Cõcilio 16. Toletano fit mentio. Stephanus secũdus, qui firmat Conciliũ 12. Toletanũ. Zenon tẽpore Eruigij Regis ann. 685. Maximus, qui Concilium 15. Toletanum subscripsit ann. 688. & Concilium 16. ann. 693. & Concilium 17. ann. 694. & tandem anno sequenti 715. fuit Emerita à Mauris debellata.

3 Requiescunt. *Et nunc resquiescũt corpora sanctorũ Archiepiscoporũ Pauli, Fidelis, Mausonæ, Innocẽtii, & Renouati, cũ Sãctorũ Martyrum Germani, Lucretiæ, Iuliæ, & aliorum Martyrum, & Confessorum ossibus in prædicta Ecclesia sanctæ Eulaliæ. Ossa maiora sunt posita in mirifico relicario altari maiori contiguo, & reliqua in arca tribus clauibus desuper custodita, vt nos particulariter narramus in Emeritæ Historia Hispano sermone composita, vbi hæc, & reliqua omnia ad hanc clarissimam Ciuitatem attinentia largiùs tractantur.*

4 Ego autem humilibus omniũ à fastidiosis lectoribus precor, vt legant priùs huius Codicis opuscula, & posteà despiciant, ne videa-

deatur nõ ex iudicio, sed ex odio præsumere, & ignorata damnare. *Sic in M. S. Aliter poterant verba hæc legi, ita videlicèt.* Ego autem humillimus omniũ fastidiosos lectores precor, vt legant priùs huius Codicis opuscula, & posteà despiciant, ne videatur ex initio, sed ex odio præsumere, & ignorata dãnare. *Vt sensus sit. Cũ Paulus dixerit scripsisse quantitatẽ miraculorũ Patrũ Emeritensiũ, eorũq; obitum sermone impolito, & vt aiũt, crassa Minerua; tamen summis precibus à lectoribus contendit, omnium humillimus, ne parui faciant opuscula eius, nec despiciat, aut fastidiãt, sed potius legant, ne videantur præsumere ex initio, sed ex fine (vel iuxta literã M.S. ex suo iudicio absq; operis lectione) ne damnẽt ea, quæ ignorauerint; quod aliqui facere solent, quãuis non legerint opera auctoris. Tu igitur Lector cogita, quæ dicta sunt, & attende ad ea, quæ nouissimè dixit Paulus, vt & nos correctionẽ tuã libenter accipiamus. Omnia autem, quæ hic scripta sunt sanctæ Matris Ecclesiæ correctioni humiliter subjicimus.*

FINIS.



KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN 1967